Google

This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.
+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.
+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.
+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at http://books.google.com/



Greg. Giuſti del. *Ant. Zaballi Scul.*

GASPARIS ALOYSII
O D E R I C I
G E N U E N S I S
E S O C I E T A T E J E S U

DISSERTATIONES ET ADNOTATIONES
IN ALIQUOT INEDITAS VETERUM INSCRIPTIONES
ET NUMISMATA

A C C E D U N T

INSCRIPTIONES ET MONUMENTA
QUAE EXTANT IN BIBLIOTHECA
MONACHORUM CAMALDULENSIUM
S. GREGORII IN MONTE COELIO
EXPLICATIONIBUS ILLUSTRATA.



Vrna Marmorea nunc primum edita in Collegio Græcorum S.I.

ROMAE MDCCLXV.
TYPIS FRANCISCI BIZZARRINI KOMAREK.

SUMPTIBUS VENANTII MONALDINI BIBLIOPOLAE.

SUPERIORUM PERMISSU.

THE NEW YORK
PUBLIC LIBRARY
335253B
ASTOR, LENOX AND
TILDEN FOUNDATIONS
R 1945 L


IVLIO CAESARI
COLVMNAE DE SCIARRA BARBERINIO
PRAENESTIS CARBONEANI &c. &c. PRINCIPI
HISPANIAR. PRIMI ORD. MAGNATI
VIRO
OMNI VIRTVTIS ET NOBILITATIS LAVDE
PRAESTANTISSIMO
PHILOSOPHIAE ANTIQVITAT. HVMANIOR. LITTERARVM
CVLTORI VINDICI PROPAGATORI
EXIMIO
BONARVM ARTIVM
DOCTORVMQVE HOMINVM
PATRONO EGREGIO
DISSERTATIONES
QVIBVS ET MVSEI BARBERINI MONVMENTA
EXPENDVNTVR INLVSTRANTVR
IOSEPH ANT. MONALDINIVS
L. M. Q. D. D. D

ERUDITO
AC VETERUM MONUMENTORUM
STUDIOSO LECTORI.

JOSEPH ANTONIUS MONALDINI VENANTII F.
BIBLIOPOLA S.

GAſparem Aloyſium Odericium Societ. Jeſu Presbyterum non Theologicis modò Diſciplinis, quas heic in Scotorum Collegio magna famae celebritate profitetur, verum etiam penitiori Antiquitatis ſcientia mirifice praeſtare; neminem profecto latere arbitror, qui hoc utiliſſimo, jucundiſſimoque ſtudiorum genere delectetur. Quam enim in tunc recens effoſſam, & Alſenio Cejonio Juliano Kamenio inſcriptam Baſim Anno 1756. Typis Generoſi Salomonii edidit Diſſertationem, & ſummo Doctiſſimi quique plauſu exceperunt, & maximis acre ipſius judicium, felix ingenium, multam, eamque reconditam Eruditionem laudibus extulerunt.

Haec me res movit, ut reliquas Clariſſimi Auctoris lucubrationes in publicam lucem proferendas curarem; ſciebam enim aliquot

 ipſum

ipſum praeterea & ſponte ſua ; & Amicorum rogatu , Diſſertationes in veteres aliquot Inſcriptiones , ac Nummos adornaſſe ; quas harum rerum conſultiſſimi publica litterarum luce eò magis dignas exiſtimabant , quò verecundius eas doctiſſimus , idemque modeſtiſſimus Auctor occulere ſatagebat . Quamobrem cum ſaepius , vehementerque rogaſſem , ne ſummis Eruditorum votis diutius obſiſteret ; reluctantem denique vici , illudque pro ſingulari ſua humanitate, ſum adſequutus , ut de illis edendis ſedulò cogitaret.

Quas itaque mecum poſtea communicavit ſeptem numero *Diſſertationes* , eaſque ſane egregias , atque cùm rerum copia ac varietate , tum plurimis priſci , mediique Aevi hactenus ineditis monumentis praeſtantiſſimas ; hoc tibi veluti faſce comprehenſas , Erudite Lector , exhibeo ; quibus & jamdiu editam in Kamenii Baſim adjiciendam putavi ; ſed ab ipſomet Auctore plurimùm auctam , ac diligentiſſime recenſitam .

Has excipit *Veterum Graecarum* , *Latinarumque Inſcriptionum Sylloge* doctiſſimis ejuſdem Odericii Adnotationibus illuſtrata . Cum enim quamplurima id genus Monumenta cùm ex Urbis, Agrique Romani Ruderi-

bus

bus proximis hiſce temporibus effoſſa , atque ex archetypis ſumma ab ipſo fide ac diligentia exſcripta , tùm aliunde Amicorum ope quaeſita privato ſtudio in Adverſaria contuliſſet ; Ea , me hortante , ſelegit , quae cum in ampliſſimis Gruteri , Reineſii , Gudii , Donii , Fabretti , Gorii , Muratorii , Maffei Collectionibus nequaquam inveniantur , inedita jure cenſuit , opportuniſque , ubi par viſum eſt, obſervationibus doctiſſime expenſa , pretioſum profecto Parergon , Diſſertationibus ſuis adjecit .

Accedunt quaſi Mantiſſae loco *Inſcriptiones antiquae ex Bibliotheca Monachorum Camaldulenſium S. Gregorii in Monte Coelio* , quas ad autographorum fidem exſcriptas docte , diligenterque explicarunt Monachi Camaldulenſes Eruditiſſimi Clemens Blaſius , & Franciſcus Sandrius .

Qui illas e Terrae viſceribus vix erutas ab injuria temporum , illiteratorum hominum ignavia , atque lapicidarum ſcalpro ſtrenue vindicans in Monaſterii ſui Bibliotheca , ejuſque atriolo collocavit D. Maurus Abbas Sartius Vir longe Clariſſimus , & multis jam editis edendiſque doctiſſimis libris de Re Litteraria univerſa optime meritus , optaſſet pro-

 fecto ,

fecto , ut ab Odericio illuſtratae prodirent ; Verum abſolutis jam pene integri Operis typis , maximiſque occupationibus impeditus , illud ſolum V. Cl. Amicoque optimo potuit indulgere , ut heic ſcilicet , etſi ex alieno penu illuſtratae in publicum emitterentur una cum *Epiſtola* , qua Vir Celeberrimus , maximumque Minimorum Familiae , Romani Archigymnaſii , ac Litterariae Reipublicae decus , & ornamentum P. Franciſcus Jacquier vetuſtum Solare Horologium , quod Marmoreae Baſi inſculptum in eamdem Sancti Gregorii Bibliothecam non ita pridem Cl. Abbas Sartius inferri curavit , philologicis ac mathematicis animadverſionibus doctiſſime explicandum ſuſcepit .

Quae omnia , accuratiſſimis Inſcriptioninum , & Rerum memorabilium Indicibus inſtructa , hujuſmodi ſane ſunt , ut nihil utilius jucundiuſque proferri poſſe videatur , hiſce potiſſimum temporibus , quibus Antiquitatis ſtudia maximopere excoluntur .

Monumentorum porro , quae proferuntur , pleraque ex archetypis ſumma fide delineata aereis , ligneiſque Tabulis incidi , Chartae nitorem , Typorum elegantiam , ceteraque omnia , quae ad abſolutiſsimam praeſtantiſsimi

Ope-

Operis Editionem pertinere intellexi, ita nullis parcendo ſumptibus ſollicite, diligenterque curavi; ut & meam in ipſa editione ſollertiam diligentiamque moroſioribus etiam me probaturum eſſe confidam.

Meum itaque bene de Litteris merendi ſtudium aequi, bonique, Lector humaniſsime, conſule; & dum earumdem incremento, tuoque maximo commodo majora in diem moliri pergam, his utere interea felix, ac Vale.

INDEX
DISSERTATIONUM ET OPUSCULORUM.

DISSERTATIO I.
De Trallianorum Numo. Pag. 1.

DISSERTATIO II.
De Anonymi Martyris Epitaphio. p. 27.

DISSERTAZIONE III.
Sopra un'antica Iſcrizione del Palazzo Barberini. p. 55.

DISSERTAZIONE IV.
Sulla medeſima Inſcrizione. p. 73.

DISSERTAZIONE V.
Sopra un'antica Inſcrizione del Muſeo Kircheriano. p. 87.

DISSERTAZIONE VI.
Sopra la ſteſſa Inſcrizione. p. 101.

DISSERTAZIONE VII.
Sopra una Moneta di Volterra. p. 112.

DISSERTAZIONE VIII.
Sopra un'antica Inſcrizione nel Palazzo Barberini. p. 131.

Sylloge Veterum Inſcriptionum adnotationibus illuſtrata. p. 175.

Inſcriptiones antiquae ex Bibliotheca Monachorum Camaldulenſium. p. 247.

De veteri quodam Solari Horologio nuper invento Epiſtola. p. 383.

LAURENTIUS
RICCI
Praepoſitus Generalis Societatis JESU.

CUM Opus, cui titulus: *Gaſparis Aloyſii Oderici S.J. Diſſertationes & Adnotationes in aliquot Veterum Inſcriptiones, & Numiſmata*, aliquot ejuſdem Societatis Theologi recognoverint, & in lucem edi poſſe probaverint, poteſtatem facimus, ut Typis mandetur, ſi iis ad quos pertinet, ita videbitur: Cujus rei gratia has literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo Officii noſtri munitas dedimus. Romae die 12. Julii 1764.

Laurentius Ricci.

Loco ✠ Sigilli.

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendiſſimo Patri Sacri Palatii Apoſtolici Magiſtro.

Dom: Jord. Archiep. Nicomed. Viceſgerens.

ADPROBATIO.

Revmi Pat. T. A. Ricchinii S. P. A. Mag. juſſu legi: *Gaſparis Aloyſii Oderici Soc. Jeſu, Diſſertationes & Adnotationes in aliquot Veterum Inſcriptiones & Numiſmata &c.*, in iiſque nihil, quod Religioni, boniſque moribus adverſaretur, deprehendi. Omnia vero non vulgari ac fucata illa antiquitatis doctrina, ſed ſolida eruditione cum acerrima judicandi vi conjuncta ita conſtare vidi, ut hujus Scriptoris nomine Litteratorum id genus hominum, qui rariſſimi hoc ſaeculo ſunt, cenſum merito auctum iri facile cognoſcerem, gauderemque factam hoc veluti pignore ſpem, fore, ut maximis impoſterum opibus Reſpublica Litteraria, ejus opera ac labore diteſcat. In quorum fidem &c. 8. Kal. Sextilis 1764.

Benedictus Stay SS. D. N. ab intimo Cubiculo, & ab Epiſtolis Latinis.

ADPROBATIO.

G*Aſparis Aloyſii Oderici Genuenſis e Societate Jeſu: Diſſertationes & Adnotationes in aliquot Veterum Inſcriptiones, & Numiſmata &c.* juſſu Rmi Pat. Sac. Pal. Apoſt. Mag. P. Th. Auguſtini Ricchinii ſtudioſe, diligenterque perlegi; tantumque abeſt, ut quidquam bonis moribus, Decretiſque Orthodoxae Religionis adverſum hoc in Opere occurrerit, ut potius ſummam Cl. Auctoris eruditionem, egregiamque in evolvendis explicandiſque Veterum Monumentis peritiam admiratus dignum illud ſane cenſeam, quod, Rei praeſertim Antiquariae Bono, in lucem edatur.
Datum Romae v. Kal. Sextilis 1764.

Joſeph Antonius Reggi Biblioth.
de Comitibus Praefectus.

IMPRIMATUR.

Fr. Thomas Auguſtinus Ricchinius Ordinis Praedicatorum
Sacri Palatii Apoſtolici Magiſter.

QUIS

QUIS AUTEM EST, QUEM NON MOVEAT CLARISSIMIS MONUMENTIS TESTATA, CONSIGNATAQUE ANTIQUITAS?

Cicero de Divinatione Lib. I.

DISSER-

DISSERTATIO PRIMA
DE
TRALLIANORUM NUMO
AD
ANTONIUM BENEDICTUM
E SOCIETATE JESU.



I. QUi veteres Trallianorum numos explicant eos *Trallibus* nobili Cariae urbi (1) tribuere conſueverunt; Horum ego ſententiae, ſi una tantum urbs eſſet, quae hoc nomine nuncuparetur, ultro ſubſcriberem. At cum duae fuerint ejuſdem nominis urbes altera in Caria, altera in Aſia Proconſulari, utri potius referam incertus ſum ac dubius. Neque enim cauſae ſatis video, cur uni tantum Carum urbi numi omnes tribuendi ſint. Ut enim haec illuſtrior,

A illa

---

(1) *Tralles*, quae, & *Trallis*, quas Cariae plerique tribuunt, Lydiae alii adſcribunt, Ioniae Diodorus Siculus (a). Rei cauſam docet opinor Strabo (b) cum Lydos, Cares, Iones campum quemdam non longe a Maeandro communiter habitaſſe ſcribit. *Poſt Magneſiam iter eſt Tralles verſus ad laevam ejus eſt Maeſogis, ad dextram Maeandri campus; quem incolunt Lydi, Iones, Cares, Mileſii &c.* Aliam ex eodem adfert Schelſtratus (c) *eo quod Romani has partes non ad nationum formam dividerent, ſed ſecundum Fora, & Juriſdictiones.*

(a) Diod. Sicul. lib. XIV. n. 36.
(b) Strab. l. c.

(c) Schel. in Antiq. Eccl. diſſ. 1, c. 11, art. 1.

illâ vero minus nota fuerit & nobilis, non continuo eam ego A. A. A. F. F. facultate privare auſim, quam tenuiſſima quaeque oppida habuiſſe olim compertum eſt. Duas porro fuiſſe *Tralles*, ne id a me dici temere credas, aperte teſtantur tum Eccleſiaſtica & Civilis, quas vocant, notitiae, tum Hieroclis grammatici Synecdemus, tum quae Conciliorum actis ſubſcripta ſunt Epiſcoporum nomina, & ſedes. Ἐπαρχία Ἀσίας ὑπὸ Ἀντύπατον, Ἔφεσος, ... ΤΡΑΛΛΕΙΣ, ... Ἐπαρχία Λυδίας ὑπὸ Κονσυλαριον, Σαρδεις ... ΤΡΑΛΛΗΣ, leges in utraque notitia, & Synecdemo (*a*) Θεοφύλακτος Ἐπίσκοπος ΤΡΑΛΛΗΣ habetur in actis Secundi Concilii Nicæni (*b*), & ibidem Μιχαὴλ Ἐπίσκοπος ΤΡΑΛΛΩΝ, legitur. Quamquam haec ne quid diſſimulem Trallianorum numo multo ſunt recentiora, Hierocles ſiquidem his omnibus antiquior Pulcheriâ Auguſtâ ſcripſit, ſi Holſtenio credimus (*c*), ſerius etiam, ut Weſſelingius (*d*) auguratur, Juſtiniano nimirum Imperatore, ſive ante annum 535, Beliſarii U. C. Conſulatu inſignem; quando altera fortaſſe *Trallis* condita fuerat. At haec ut deſint, non idcirco vadimonium deſeram; duas enim jam inde ab antiquiſſimis temporibus fuiſſe *Tralles*, cum multa perſuadere mihi videntur, tum illa in primis, quae de *Trallium* ſitu, atque authoribus veteres Geographi, atque Hiſtorici tradidere, quae, urbes ni duas diſtinxeris, incerta omnia erunt, & dubia. Incerta & dubia? imo ſecum, quam quae maxime, pugnantia, adeo inter ſe diſſident, & ſibi mutuo contradicunt Trallianarum rerum Scriptores.

II. Ac primum quidem incertum ac dubium, quo loco ſitae *Tralles* fuerint. Si enim Stephanum Byzantinum, & Agathiam audias (*e*) ad Maeandri ripam *Tralles* poſitae ſunt: Τράλλεις τῆς πόλις Λυδίας, inquit Stephanus, πρὸς τῷ Μαιάνδρῳ ποταμῷ, *Tralles itaque*, inquit Agathias, *Urbs in Aſio nunc ita dicto campo prope Maeandrum fluvium* (ἄγχου πη τοῦ Μαιάνδρου ποταμοῦ) *ſita*: Contra Strabo Geographorum facile princeps cum *Trallium* non ſemel meminerit, Maeandrum urbem praeterfluiſſe nuſquam memorat, *Trallis*, inquit (*f*), *eſt urbs ſita in Tra-*

(*a*) Geogr. Sacr. app. pag. 11. &c. Synecd. pag. 657. 670.
(*b*) Apud Labb. CC. T. VII. pag. 564. 568.
(*c*) Holſt. in notis ad Ortel.
(*d*) VVeſſ. Praef. in Hier. Syn. 634.
(*e*) Step. v. Τράλλεις. Agath. Hiſt. lib. II. pag. 54.
(*f*) Stra. lib. XIV. pag. 648.

Trapezio quodam, quod verticem habet naturâ munitam, ſicut & circum loca ſatis probe munita: ab utriſque Plinius (*a*) diſſidet: *Trallis eadem Evanthia, & Seleucia, & Antiochia dicta alluitur Eudone amne & perfunditur Thebaide*: Huic Etymologus accedit (*b*) apud quem lego. *Eudonus* (1) *fluvius olim quidem Diae, & Eurymnes, & Lariſſae, nunc autem Trallenſium ejus* (provinciae ſcilicet) *quae Aſia vocatur*. Haec pugnare ſecum, opinor, vides. Quid igitur ſtatuas, aut quo rem pacto compones? Cellarius (*c*) ne a Strabone Stephanus diſſentiret, particulam illam πρὸς, latine *prope* interpretatus eſt; ut non in ipſa Maeandri ripâ, ſed ab eâ non longe, *Tralles* eſſent, paſſibus ſi Whelerio (*d*) credis mille, & quingentis. Favet his Agathias, qui ἄγχου που τοῦ Μαιάνδρου *Tralles* ſitas dixit: at quo pacto cum Strabone, & Stephano Plinium, atque Etymologum componemus, quorum uterque ad Eudoni ripam *Tralles* ſitas dixit; prior inſuper Thebaide perfundi ſcripſit?

III. Nec minus incertum, quis *Tralles* condiderit, niſi duas, ut paulo ante, dixi urbes diſtinxeris. Argivos, & Thraces urbem condidiſſe author eſt Strabo (*e*): *conditam urbem ab Argivis, & a quibuſdam Thracibus, a quibus ei nomen*: contra Agathias (*f*) veterem Pelaſgorum Coloniam fuiſſe illas tradit. *Olim quidem Pelaſgorum Colonia fuit*. Neque vero dicas, Pelaſgos Graecia Europaea ejectos, cum Aegaei maris inſulas, & Aſiae minoris littora, Ioniamque imprimis occupaſſent, ut ait Menecrates Elaita apud Strabonem (*g*), *Tralles* condidiſſe; quas deinde vel deſertas a Pelaſgis, vel vetuſtate collapſas, cum Argivi, & Thraces reſtituiſſent, urbis conditores, atque authores merito a Strabone nuncupatos fuiſſe. Idque eo veri eſſe ſimilius, quod Pelaſgi, ut idem docuit Strabo (*h*), *vaga gens fuit, & ad migrationes praeceps, & incrementa, & decrementa ma-*

(*a*) Plin. H. N. lib. v. c. 29.

(*b*) V. Εὔδων.

(*c*) Cell. Geogr. Tom. II. lib. III. cap. IV. n. XXII.

(*d*) VVheler. Voja. de Grece p. 337.

(*e*) Strabo l. c. p. 649.

(*f*) Agat. l. c.

(*g*) Strab. lib. XIII. pag. 621.

(*h*) Id. l. c.

(1) Vocis hujus etymon explicat idem author: *Eudonus ab* Εὕδω, *quod Labrandus & Panamorus, & Palaxus, ſive Synalaxus, Curetes, in Cariam oraculi juſſu profecti, nocte oppreſſi, in ejus ripa dormierunt, & a dormiendo flumen nominarunt*.

gna & ſubita tulit, maxime ſub Eolenſium, & Ionum tranſitum in Aſiam: Simili fere pacto, pugnantes veterum Scriptorum de Cauloniae origine (1), & conditore ſententias variis diſtinctis aetatibus, Froelichius noſter (*a*) egregie compoſuit. Quin, & illud fortaſſe a vero non alienum, Agathiam Pelaſgorum nomen veteribus Argivis Trallienſium conditoribus tribuiſſe. Pelaſgi enim Phoenicum gens, ut U. C. Bouherio (*b*) aliiſque multis viſum eſt, Peloponneſum ingreſſi, quae tunc *Apia* dicebatur, cum alia, tum maritima loca, atque Argis proxima tenuere, ex quo urbs illa Graecorum vetuſtiſſima *Pelaſgica*, ſeu *Argi-Pelaſgici* dicta eſt; illic cum per generationes quinque conſediſſent, ſexta demum in Theſſaliam Acheo, Phtio, & Pelaſgo Ducibus Coloniam deduxere; ibique urbem *Argos* nomine condiderunt. Hinc Argivi, ſeu Theſſali, ſeu Peloponneſiaci, qui in Aſiam profecti *Tralles* fabricarunt, Pelaſgi non temere dici potuerunt. At haec quamvis ſimillima veri ſint, non continuo unam fuiſſe Trallianorum urbem credam. Ab hac me ſententia maxime retrahit, ingens ille Terraemotus, quo *Tralles*, concuſsae, & ſubverſae penitus ſunt. Rem attigit Euſebius in Chronico (*c*). *Tralles terraemotu conſederunt*, & copioſius deſcripſit Agathias (*d*). *Sub Auguſti vero Caeſaris tempora terraemotu quaſſata eſt*, Trallis, *& ſubverſa nihilque in ea integrum relictum*. Ingentis adeo ruinae, nihil apud Strabonem, qui ea aetate vixit, & Tiberii Imperatoris anno XI. vel XII. aut obiit, aut ſcribere deſiit, ut ait Caſaubonus, nihil in-

(*a*) Froelic. Num. Vet. Urb. p. 15.

(*b*) Bouhier diſſ. ſur Herod. c. IX.

(*c*) Euſ. Cron. ad A. Abr. 1990.

(*d*) Agat. l. c.

(1) Achaei, Locri, Siculi, Caulus Clitae Amazonis filius, Cauloniam, quae & Aulon, fundaſſe feruntur. Froelichius ter illam conditam, & ter everſam arbitratur. Conditam primum ab Achaeis, Duce Tryphone Aegienſi; everſam a Dionyſio Seniore Syracuſarum Rege circa annum U. C. 366. Iterum a Caulonis Siculis patria ejectis, & a Locris fabricatam, atque a Campanis, Pyrrho Epirota Italiam bellis miſcente circa an. U. C. 477. iterum everſam; Tertio tandem a Crotoniatis fortaſſe reſtitutam ſuſpicatur, Froelichius, atque a Romanis, quod Annibali adhaeſiſſet, tertiam ruinam ſubiiſſe, ſub finem ſecundi belli Punici. Quae vero de Caulo Amazonis filio, e vulgi rumuſculis dubius refert Servius, ea ad Fabulas ableganda arbitratur.

inquam invenies; multa illic de Trallianorum ſplendore, amplitudineque, de Urbis caſu, & ruina omnino nihil. Neque enim huc pertinere arbitror, quae de Trallianorum gymnaſio terraemotu dejecto, atque ab Auguſto pecunia ſua reſtituto, idem narrat (a). *Nam & noſtra aetate tremores terrae Magneſiam dejecerunt, quando, & Sardes, & aliae nobiliſſimae urbes ab iiſdem ſunt graviſſime afflictae multis partibus, Imperator tamen* (Tiberius) *inſtauravit, pecuniam largitus; quod beneficii genus ante etiam praeſtiterat pater ejus* (Auguſtus) *Trallianis, cum eorum corruiſſet gymnaſium*. At longe ab urbis totius interitu gymnaſii unius ruina, & caſus diſtat.

(a) Strab. lib. XII. pag. 579.

IV. Haec cum ita ſint dubitabit opinor nemo, quin vetuſtis etiam temporibus duae fuerint *Tralles*, quarum ignoratione factum ſit, ut quae unius propria erant, alteri tribuerentur, eamdemque urbem hic Maeandri in ripa, ille prope Eudonum collocaret; hic a Pelaſgis ille autem ab Argivis conditam vellet. Harum altera in Lydia, ſive potius in Caria, non longe a Maeandro; Altera vero in Aſia Proconſulari Eudono impoſita, ut Plinius, atque Etymologus authores ſunt. Atque hic quidem *Tralles*, quas Eudonus praeterfluebat, in Aſia, quae Proconſularis deinceps dicta eſt, fuiſſe, non obſcure docuit, cum ait Τραλλέων καλȣμένης τῆς Ἀσίας, Aſia namque peculiari nomine nuncupata eſt, regio Epheſo adjacens, quae olim Ionia dicebatur, quaeque adjectis Helleſponto, atque Inſulis *Aſiam Proconſularem* conſtituit, uti ex vetere authore de locis actuum Apoſtolorum recte obſervavit Schelſtratus (b): *Prima eſt Aſiae Provinciae, quae proprie Aſia vocabatur, & Epheſo adjacebat; Unde author de locis act. Apoſtol. recte notat, ſpecialiter ubi Epheſus Civitas eſt, Aſiam vocari: Secunda eſt Aſiae Proconſularis, quae Aſianam, Helleſpontum, & Inſularem provincias continebat, & Proconſuli in notitia tribuitur. Tertia eſt, provinciarum reliquarum Aſiae, quae Vicario parebant, & una cum provinciis proconſularibus totam Aſianam Dioeceſim conſtituebant*.

(b) Schel. l. c. diſſ. 1. c. 11. ar. 1. n. 5.

Tral-

Tralles porro non longe ab Epheſo fuiſſe Sybillina Carmina teſtantur.

Aſt Trallis vicina Epheſo ſucuſſa tremente
Terrâ, compoſitos muros, hominumque labores
Diruet, & latices ferventes terra refundet. (a)

ex quibus illud etiam inferas velim *Tralles*, quas motus ille ingens Telluris Auguſto imperante integras pene ſubvertit, non eas eſſe, quae non longe a Maeandro poſitae ſunt, ut Agathias perperam exiſtimavit, ſed quas in Aſia Proconſulari Eudonus praeterfluebat. Quî vero ingentem calamitatem Chaeremonis cujuſdam opera, qui Auguſtum in Hiſpaniam contra Cantabros bellantem ſupplex adiit, reparaverint, non operae eſt perſequi, rem fuſe narrat Agathias, cujus tamen fidem, penes authorem eſſe volo. Huic ego urbi Trallianorum numum a Whelerio, (b) deſcriptum tribuendum cenſeo, (*) cujus in averſa parte fluvius urnae innixus decumbit, Eudonum, ut Weſſelingio etiam viſum eſt, referens (c) Epigraphe hujuſmodi eſt ΕΠΙ ΜΟΔΕϹΤΟΥ .... ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ: Trallianorum numum alium Modeſto Scriba percuſſum, Gallieno Imperatore, exhibet Harduinus: (d) unuſne, an duo Trallianorum ſcribae hiſce in numis exhibeantur nec definire auſim, nec quaerere tanti eſt. At his omiſſis *Tralles* alteras Maeandricas, ſi vis, repetamus. Urbem impenſe laudat Strabo: *Civibus*, inquit (e) *optime frequentata eſt, ut ulla Aſianarum Urbium alia opulentis; & ſemper aliqui eorum ſunt principe in provincia loco, quos Aſiarchas appellant; de quorum numero fuit Pythodorus, qui Niſæ natus, eo commigravit ob claritatem, interque Pompei amicos cum paucis floret.... Hujus Filia eſt Pythodoris, quae nunc in Ponto regnat*: Haec Strabo. Tullius eamdem *gravem, locupletem, ornatam civitatem* dixit (f), quibus ego facile moveor, ut *Trallibus* hiſce Muſaei Britannici (g) numum tribuam inſcriptum ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΕΛΛΑΔΟϹ, (*) neque enim *Tralles* Proconſulares illuſtres adeo fuiſſe lego, ut haec de ſe jure aliquo praedicare potuiſſe videantur.

(a) Carm. Syb. lib. III. v. 427.

(b) Vvheler. l. c. n. 82.

(*) V. inf. Tab. I. n. 1.

(c) Vveſſel. l. c. p. 659.

(d) Hard. Num. pop. V. Τραλ.

(e) Strab. c. XIV. p. 648.

(f) Tul. Or. pro Flac.

(g) Muſ. Brit. Tom. II. p. 151.

(*) V. Tab. I. n. II.

V. His

V. His ita animadverſis veterum de Trallianorum conditoribus Sententias componere, nec arduum erit, nec difficile. Sic enim ſentio Pelaſgos Ionia occupata, cum alias illic urbes, tum etiam *Tralles* ad Eudoni ripam fabricaſſe. Argivos verò, & Thraces eas non longe a Maeandro condidiſſe, quæ modo Lydiæ, modo Cariae tribuuntur. His a Thracibus nomen impoſitum ſcripſit Strabo, cujus verba paulo ante recitavi. Miratur id Caſaubonus, neque ſatis credibile putat: *quam id probabile a Thracibus eſſe Tralles appellatas*? (a) At hæc cum ſcriberet, vir doctus, ignoravit opinor *Tralles* inter Thraciae populos a Diodoro Siculo, Plutarco, & Heſichio commemorari. (b): *Helleſponto tranſmiſſo*, inquit Plutarchus, *dum permeat Thraciam, nemini fuit barbarorum ſuplex. Miſſis ad ſingulos legatis quaeſivit, an hoſtium terram tranſiturus eſſet. Caeteri eum omnes receperuut, & proſecuti ſunt amice, illi, qui Tralles dicuntur, quos Xerſes quoque redemerat, ut fama eſt, donis, tranſitus mercedem ab Ageſilao popoſcerunt, centum argenti Talenta, totidemque feminas*. Neque vero dicat Livium, & Stephanum, (c) *Tralliam* in Illyrico collocaſſe: *Rex vero tam celerem aleam univerſi certaminis timens quadringentos Tralles, Illyriorum id, ſicut alio diximus loco, genus eſt*; inquit Livius de Philippo Macedonum rege; ut enim omittam alio in loco, *Tralles Thraces* memoraſſe Livium (d) quo ſane ſuſpicor, Valeſio quamvis refragante, (e) priori loco *Triballos*, non *Tralles* legendum eſſe, ut habent veteres quidam Livii Codices; ut haec inquam miſſa faciam, non aegre Livius, & Stephanus, cum Diodoro, & Plutarco, & Heſichio conciliari poſſent, ſi dicas *Tralles* Illyrio, & Thraciae finitimos, utrique provinciæ adſcriptos fuiſſe. Sic olim Horatius (f) Lucanuſne, an Appulus eſſet anceps fuit, quod nimirum ſub finem utrumque araret Venuſinus Colonus. Quamquam eorum ego Sententiæ libenter ſubſcribo, qui *Tralles* longe ab Illyrico collocant, recteque vidiſſe arbitror Palmerium, cum Plutarci Ageſilaum notis illuſtrans, *ex hoc loco*, inquit

(a) Caſaub. not. in Strab. p. 237.

(b) Diod. Sic. lib. xvii. Plutarc. Vit. Ageſil. p. 604. Heſich. V. Τραλλεις.

(c) Liv. lib. xxxix. n. 35. Steph. V. Τραλλια.

(d) Liv. lib. xxxviii. n. 21.

(e) Valeſ. excerp. Dionis p. 90.

(f) Hor. lib. II. ep. I.

(*a*) Palmer. exerc. in aut. Graec. p. 204.

inquit (*a*) *habitaſſe videntur Tralles ad ſinum Melanum, vel mare Aegeum, aut Strymonium, in itinere quo Xerſes Graeciam petebat vicini Sapaeis, vel Sintis*. Ferox genus hominum & ad caedes paratum fuere *Tralles* ſi Heſichio (*b*) credimus: *Tralles* inquit, *ſic vocantur Thraces mercede conducti a regibus, qui lucri cauſa homicidia perpetrant*: Haeſichio ſubſcribit Palmerius (*c*) *fuit gens, vel factio quaedam militaris, & a quibus Tralles celebris Aſiae urbs nomen habuit ...... gens ferox, & crudelis: ideo ea utebantur ad caedes faciendas reges, & Tyranni*. Hinc nequaquam miraberis, ſi Antiocho Syriæ rege, & Romanis Lucio Scipione Imperatore ad Magneſiam pugnantibus, utraque in acie *Tralles* militare legas apud Livium (*d*). Gens pecuniae ſupra modum cupida, cuique milites ſcribenti, nomen dabat ſuum. Utris vero *Trallibus*, *Evantiae*, *Seleuciae*, *Eurimnae*, ſive ut Holſtenio placet, *Erymnae* (*e*) nomina tribuam, unine omnia, an quaedam potius *proconſularibus*, quaedam *Caricis*, incertus ſum, nec definire auſim; alii ſtatuent quorum ſcire id interſit, nos quae in hac numi parte ſunt reliqua proſequamur.

(*b*) Heſich. l. c.

(*c*) Palm. l. c.

(*d*) Liv. lib. xxxvii. n. 39. 40.

(*e*) Holſten. not. in Steph. V. Τραλλεις.

VI. TAURISCI nomen exhibet *exergon* quod vocant (1). Scribam ſcilicet *Trallianorum*, nam & *Trallibus*, uti & in aliis Cariae praeſertim, Lydiae, Myſiae, Phrygiae, atque Aſiae proconſularis urbibus, *Scribam*

---

(1) *Tauriſci* nomen non ignotum apud Trallianos, Hermerotes Tauriſci Sculptoris Tralliani, memorat Plinius (*a*). *Hermerotes Tauriſci non caelatoris illius*, Ciziceni nimirum, cujus ante (*b*) meminerat, *ſed Tralliani*. Extat in Florentino Muſaeo gemma quaedam montem exhibens ac ſuper illum Solem ſtantem, in ejus area haec inciſa leguntur. TAYPIC. Qui Muſaeum illud notis illuſtravit, *qui ſint*, inquit (*c*) *hi montes indicat inſcriptio eadem artificis manu inciſa ταυρις, duabus litteris prætermiſſis, quarum gemma vix capax ei viſa eſt, ne deformaretur; nimirum Tauriſci, qui alpibus nectuntur in finibus Helvetiorum, & a Strabone deſcribuntur*. Haec ille. At ſi me audis Artificis illic, non montis nomen agnoſces. Gemmas Artificis nomine ſignatas, norunt, qui rebus hiſce delectantur. Horum nomina bene multa collegit Nicolaus Galeottus noſter, in praef. ad Muſaeum Odeſcalchium, quibus *Tauris*, vel *Tauriſcus* addi non temere poterit me judice.

(*a*) Plin. H. N. lib. xxxvi. c. 5.
(*b*) id. lib. xxxiv. c. 12.

(*c*) Muſ. Flor. T. iii. pt. iii. p. 36.

ſam praecipuum ac primarium Magiſtratum fuiſſe nullus dubito, & diſertiſſime Trallianorum numi teſtantur, quos ſaepe inſcriptos videas ΕΠΙ ΓΡΑΜ. ἐπὶ Γραμματέος: *Trallis*, inquit Froelichius (*a*) *in aere ſuo γραμματέος magiſtratum exhibere ſolet*. Multa de Graecarum urbium Scribis Spanhemius (*b*); his quae praeclara ſunt & illuſtria, adjicias velim Niſaeorum numum, cujus in adverſa parte Auguſti Caput, in averſa vero hæc inſcripta ſunt. ΤΙΒ. ΚΑΙΣΑΡ. ΓΡ. ΤΟ. Β. ΝΥΣΑΙΩΝ. nempe *Tiberius Caeſar* ΓΡΑΜ. *Scriba iterum Niſaeorum*. (*) *Sane*, inquit optime Froelichius (*c*) qui numum protulit, atque illuſtravit, *ſi majorem alium urbis ſuae magiſtratum atque γραμματέος agnoviſſent Niſaei nullus dubito, quin ejuſdem titulo Tiberium Caeſarem cohoneſtaſſent*. Apud Achaeos etiam illuſtre & grave hujuſmodi munus fuiſſe, ex iis auguror, quae apud Polybium & Strabonem legiſſe memini (*d*): *Quinque igitur & vigintiprimos annos*, inquit Polybius, *dictae urbes Remp. eamdem coluerunt, Scribam communem, & Prætores duos in orbem eligentes*. Non tanti erat profecto, ut haec de communi Achaeorum Scriba, poſterorum memoriae commendarentur, ſi Scribarum dignitas apud Achaeos parva, & nullius pene nominis, uti apud Romanos, fuiſſet. Sed haec ἐν πάροδῳ. Illud etiam ſuſpicatum me non diſſimulabo, *Tauriſcum* hunc noſtrum ex Cratippi Filiis aliquem fuiſſe, quos ſub Mitridatici belli tempore *Tralles* tyrannide oppreſſiſſe apud Strabonem legeram (*e*) Belli porro Mithridatici, quod *per annos XL.* ut ait Florus (*f*) *bellatum, donec tribus ingentibus bellis felicitate Sullae, virtute Luculli, magnitudine Pompej conſumeretur*, belli inquam Mitridatici initia, ſi à conſulatu L. Cornelii Sullae deſumenda ſint, quod aliquos feciſſe video; in annum incident U. C. DCLX$\frac{5}{6}$. Suſpicandi autem cauſa fuerat, quod nulla eſſet littera non Γ. non ΓΡ. &c. quae *Tauriſcum* Scribam deſignaret, uti in aliis Trallianorum numis fieri animadverteram. Sed leviora haec viſa ſunt, quam ut conjecturae fundandae idonea forent, praeſertim cum exempla minime deſint,

B quae

(*a*) Froel. l. c.

(*b*) Spanh. de uſu & praeſt. Num. diſs. VIII. §. IV.

(*) Vid. T. I. n. 5.

(*c*) Froel. IV. Tentam. p. 155.

(*d*) Polib. Hiſt. II. n. 43. Strab. lib. IX. p. 385.

(*e*) Strab. lib. XIV. l. c.

(*f*) Flor. III. 5.

quae Scribarum nomina ſine ullo dignitatis titulo, in numis ſculpta oſtendant. His ergo omiſſis, cujuſnam caput noſtro hoc in numo caelatum ſit, videamus: Aquilarum enim, tum commodius ratio reddetur, ubi certam de capite Sententiam protulero.

VII. Jovis caput adverſa in parte ſculptum non dubitanter pronuncio. Dabit id facile, qui vetera Graecorum, latinorumque numiſmata tractaverit. Adde quod Trallianorum numi alii, hujuſce numinis cultum apud Trallianos aperte oſtendunt. Sedet Jupiter, cum haſta & fulmine Trallianorum in numo, quem Triſtanus vulgavit (*a*). Fulmen *Jovis ignis* exhibet utraque in parte Trallianorum numus alter (*) Muſaei Britannici (*b*). Neque vero mirum ſi *Trallibus*, Caricis praeſertim, Jupiter coleretur, cujus apud Cares, plura erant cum templa, tum nomina illuſtria, & ſacra. Jovis Carii meminere Herodotus, Strabo, & Stephanus Byzantinus (*c*). *Apud Mylaſſenſes* inquit Herodotus, *Jovis Carii delubrum oſtentant, vetuſtum, quo communiter, Myſi quoque, & Lydi utuntur, ut qui Caribus ſint germani; quippe tam Lydum, quam Myſum Caris Fratrem appellant, atque ob id eodem utuntur Fano*. Eadem in urbe Jupiter *Oſogo* quem incolae Pauſania teſte *Ogoas* (*d*) nominabant, inluſtris fuit. (1) *Mylaſſenſes*, inquit Strabo (*e*) *duo habent templa Jovis, unum ejus quem Oſogo dicunt, alterum Labrandeni &c.* Jupiter *Labrandenus*, qui & ϛρατιος Labrandae LX. a Mylaſſo Stadiis colebatur: *Labranda* inquit

(*a*) Triſtan. Com. T. I. p. 590.
(*) V. T. I. n. 4. & 5.
(*b*) Muſ. Brit. T. I. l. c. n. 3.
(*c*) Herod. I. n. 172. Strab. XIV. p. 659. Steph. V. χαρια.
(*d*) Pauſ. VIII. c. X.
(*e*) Strab. l. c.

(1) „ De ce Dieu, *inquit Banier* (*a*) on ſçait ſeulement, „ une circonſtance, que rapporte Pauſanias, que la Mer, qu'on croioit paſſer ſous le temple de ce Dieu s' y debordoit quelquefois: „ mais cet auteur en dit autant du Temple de Neptune Hippius, qui „ etoit pres de Mantineé, & de celuy, que le meme Dieu avoit „ dans la Cittadelle d' Athenes. Il y a apparence, qu'Ogoa etoit le „ nom, que les Mylaſſiens donnoient au Dieu de la Mer „ Haec vera ſi ſint erit idem Jupiter *Oſogo*, ſive *Ogoas*, ac Graecorum Ζηνποσειδῶν, cujus Templum, & cultum Milone in Aegypto, memorat Machon Comicus apud Athenaeum (*b*). Jupiter cum fulmine, & Tridente extat in numo Claudii Imperatoris, quem Triſtanus (*c*) vulgavit. (*)

(*a*) Banier Mythol. T. II. p. 572.
(*b*) Athen. lib. VIII. c. IV.
(*c*) Triſt. l. c. p. 185.
(*) Vid. Tab. I. n. 6.

inquit Strabo, *pagus eſt in monte, qua Alabandis, Myleſa euntibus is ſuperatur, longius ab urbe, ibi templum eſt Jovis antiquum & Simulacrum Jovis* στρατίȣ: *colitur is a circumjacentibus, & a Milaſſenſibus*: eumdem memorat, Herodotus (*a*) *ex quibus qui effugerunt, ad Labranda, in Jovis militaris Templum, & magnum atque ſanctum Lucum Platanorum compulſi ſunt, ſoli autem ex iis, quos novimus Cares* (1) *ſunt, qui Jovi militari ſacrificia offerant*. Jovem Labrandenum, quem cum Jove Cario, & Chryſaore, de quo paulo poſt, confundere videtur Aelianus, (*b*) longa indutum veſte, cum haſta & ſecuri videbis, apud Spanhemium in numis Regum Cariae, atque in Mylaſſenſium numis (*) apud Bonarotum (*c*). Cur *Labrandenus* dictus ſit, habes apud Plutarcum: *Cur Jovis Simulacrum non ſceptrum, aut fulmen, ſed ſecurim elatam tenet? Hercules Hyppolitam cum occidiſſet, inter alia arma ſecurim quoque ejus captam Omphale dono dedit; Lydorum poſt Omphalem reges eam geſtarunt, ut unam de aliis rebus ſacris, ſucceſſorique itidem tradita fuit: Donec Candaules dedignatus cuidam Sociorum ferendam eam dedit. Poſtquam vero Gyges defectione inita Candauli bellum intulit, venit a Mylaſſenſibus Arſelis auxiliares Gygi copias adducens, interfecitque, & Candaulem, & ſocium, bipennemque in Cariam, inter alia ſpolia pertulit, Joviſque adornato Simulacro, eam iſti in manum aptavit, Labradeumque nominavit Jovem, Labram enim Lydi vocant, quod latini ſecurim*: Haec Plutarcus (*d*). At Bonnarotus (*e*) Jovis *Labrandeni* Simulacrum Arſelide antiquius fuiſſe veroſimilius putat. Alias hujuſce nominis origines protulere Aelianus, & Lactantius. *At Jupiter Labrandeus nominatus eſt*, inquit Aelianus (*f*) *quod* λάβρω, *ideſt multo, atque impetuoſo imbre pluiſſet*: Lactantius autem,

(*a*) Herod. v. n. 119.

(*b*) Aelian. Hiſt. An. lib. XII. c. 30.

(*) Vid. Tab. I. n. 7.

(*c*) Spanh. l. c. §. VIII. Bonar. Medag. Tab. X.

(*d*) Plut. qu. Graec. n. 45.

(*e*) Bonar. l. c. p. 214.

(*f*) Aelian. l. c.

(1) Haec de Herodoti aetate intelligenda eſſe arbitror, ſiquidem apud Heracleam Ponti Urbem, *Jovis Stratii* aras, memorat Plinius (*a*) quas non ſine victimis, & Sacrificiis fuiſſe, credes, opinor. *In ponto circa Heracleam arae ſunt Jovis Stratii cognomine, ibique quercus duae ab Hercule ſatae*.

(*a*) Plin. H. N. XIV. 44.

tem, *cum terras circuiret Jupiter, in quamcumque regionem veniret, reges principeſque populorum hoſpitio ſibi, & amicitia copulabat, & cum a quoque digrederetur, jubebat ſibi fanum creari hoſpitis ſui nomine, quaſi ita poſſet, amicitiae, & foederis memoria conſervari. Sic conſtituta ſunt templa Jovi Atabyrio, Jovi Labradeo; Atabyrius enim, & Labradeus hoſpites ejus atque adjutores in bello fuerunt*: (*a*). At illud multo mihi probabilius Jovem *Labrandeni* cognomen ſortitum, a loco ubi colebatur, qui *Labranda*, ut ego ſuſpicor a *Labrando* illo nuncupatus eſt, qui Cariam Oraculi juſſu petiit, ut ſupra docui, ex Etymologo, & pagum vel ipſe condidit, vel nomen illi ſuum impoſuit. Hinc poſtea Jovi cognomen *Labrandeni* datum eſt. Plurima Deorum cognomina ex iis deſumpta fuiſſe locis, in quibus praecipuo cultu colerentur, nemo neſcit, quis enim ignoret Jovem *Olympium*, & *Capitolinum*, Junonem *Samiam*, Apollinem *Delphicum*, Venerem *Gnidiam*, Dianam *Epheſinam &c.* Nihil frequentius veterum numi, aut epigrammata lapidibus inſculpta exhibent: iis quae magno numero, apud Gruterum, Muratorium, Donium, Gudium alioſque antiquorum lapidum collectores invenies, Lapidem hunc addi volo, qui Superioribus annis eo loco repertus eſt, ubi olim caſtra fuere Praetorianorum, & vulgo nunc, *Macao* dicitur. Is nobis Aeſculapium *Philippopolitanum* primus, quod ſciam, exhibet.

(a) Lactan. div. Inſt. l. c. 22.

aESCVLapio
phiLIPPOPOLITano
. . . . S. SACERDOS . M
. . . . RDIANAE . ISVEV (*ſic*)
. . . . . . SVSCEPERAT . LIBENS
. . . . . . ET . COMMILIT . . . . . .
. . . . . . IDVS . MAI . IMP . . . . . .
. . . . . . II . ET . POMPEIANO
COS.

Quarto

Quarto verſu lego: *Legionis Gordianae*, quod cognomen legionibus quatuor vetera tribuunt monumenta, ſcilicet *leg. II. Adjutrici Piae Fideli*: *leg. III. Italicae*. *leg. X. Geminae*: *&* *leg. XIII.* item *Geminae*. Septimo autem: *Gordiano Aug. II. & Pompejano Civica Coſ.* qui conſulum Laterculus anno vulgaris aerae CCXLI. notatur in Faſtis. Sed de diverticulo, in viam. Jovi *Cario*, *Oſogo*, *Labrandeno* addendus Jupiter Χρυσάωρ, huic *Philalethes*, & *Lariſſaeus*. Prioris meminit Strabo (*a*) *Prope ipſam urbem* (Stratoniceam) *Jovis Chryſaoris aedes communis Caribus omnibus, qui eo ad Sacrificia, & deliberationes de Republica conveniunt*. Χρυσάορα, eo fortaſſe Jovem dixere Cares, quod aureum enſem dextra teneret; hoc enim ſenſu Meduſae filium χρυσάορα, nuncupatum lego apud Heſiodum (*b*)

ἐξέθορε χρυσάωρ τε μέγας καὶ πήγασος ἵππος
... ὁ δ' ἄορ χρύσειον ἔχεν μετὰ χερσί.

exiliit Chryſaor magnus, & Pegaſus equus... Ille vero enſem aureum tenebat manibus (1). Apollini etiam cognomen hoc tribuunt Heſiodus, & Pindarus; (*c*)

τῇ γὰρ ἀπόλλωνα χρυσάορα γείνατο Λητώ.

inquit Heſiodus. *Hoc enim die Apollinem* χρυσαορα *genuit Latona*: πρέπει χρυσάορα φοῖβον ἀπύειν, *decet*, inquit Pindarus, *Phoebum Chryſaora reſonare* (2). Hoc etiam nomine Apollonius, Jaſonem gladio circa humeros more

(*a*) Strab. xiv. p. 660.

(*b*) Heſ. θεογ. v. 281. 283.

(*c*) Heſiod. Ep. και ημ. V. 771. Pind. Pith. ad v.

---

(1) χρυσορ, ſive ut Formontius mavult (*a*) χρυσάωρ dictus eſt a Sanchoniatone apud Euſebium (*b*) ferri inventor, idem ac Graecorum Ἥφαιστος, & Latinorum Vulcanus, ſi Phoenicio Scriptori credimus.

(2) Alias hujuſce cognominis Apollini tributi cauſas, ex antiquis ad Homerum criticis dabit idem Spanhemius, in epiſtola, quam paulo poſt citabo; quod nempe Pharetram, aut cytharam, aureo vinculo religatam geſtet; quod Apollo idem ſit ac Sol, cui Auri metallum dicatum eſt: quod ἄορας iidem veteres critici per *Tripodas* explanent: *Unde videas*, inquit vir doctus *Apollinem opportune* χρυσάορα, *quaſi cum aureo tripode apellari*, *& cui ſacrum juxta Cytharam tripodem*, *vel Anacreon quidem docuit* Ἱερον γάρ εστι φοίβῳ κιθάρα Δάφνη τρίποσ τε (*c*). *Eſt enim res Sacra Phoebo Cithara, Laurus, & Tripus*.

(*a*) Fourm. Refl. Crit. lib. ii. p. 41.

(*b*) Euſeb. praep. Ev. I, 10.

(*c*) Anacr. od. 57.

re veterum, cinctum Apollini & Marti comparat, teſte Spanhemio in epiſtola ad Begerum; *quibus*, inquit, *addere non gravabor, quod apud Plutarcum legiſſe memini, ſacrum extare apud Tharſenſes Cilicas Apollinis gladium, qui nulla alia aqua, quam Cydni ibi praeterlabentis fluvii detergi poſſit, ac purgari.*

Jovem Philalethem Laodiceni ad Lycum, quos Cariae tribuit Philoſtratus, (*a*) alii Phrygiae, communius tamen Lydiae, Laodiceni inquam coluere. Teſtantur id ipſorum numi inſcripti Ζεὺς φιλαλήθης Λαοδ, ut in numo Auguſti apud Harduinum (*b*). Jovem Philalethem ſtantem, dextra aquilam, ſiniſtra ſceptrum, aut haſtam gerentem Aezanitarum numus exhibet in Theſauro Morelliano ab Havercampio illuſtrato (*) eumdemque invenies in numiſmate Maximi Moduli Muſaei Campiani (*c*).

Lariſſaei Jovis cultum in Caria docuit me Strabo, apud quem Metrodorum quemdam Trallianum civem *Lariſſaei Jovis Sacerdotio* functum fuiſſe lego (*d*). Accedit illud etiam, quod Lariſſae Cayſtrio in campo poſitae prope *Tralles* proconſulares, nec ab iis longe, quae in Caria erant, Templum Jovi Lariſſaeo ſacrum fuiſſe idem narrat Strabo: *Eſt alia Lariſſa, in Campo Cayſtrio ſupra Tralles*, (1) *Stadiis XXX. terreſtri itinere prope matris Iſodromae... fortaſſe, & hinc nomen Jovi Lariſſio*: (*e*). Lariſſeo nimirum, ut Spanhemius legendum recte monet (*f*). Has porro Tralles eas fuiſſe, quas ad Eudonum, cum Plinio atq. Etymologo collocavimus, nullus dubito: Strabo enim, cum alio in loco (*g*) Lariſſae hujus meminiſſet, eam in agro Epheſino ſitam ait, *Tralles* autem Procunſulares, non longe ab Epheſo poſitas, ſupra docui (*h*). *Tertia* Lariſſa *eſt Pagus agri Epheſii, in Campo Caiſtrio, quam olim fuiſſe urbem* (2) *ajunt*,

(*a*) Philoſ. vit. Soph. lib. I. vit. Polem. n. I.
(*b*) Hard. Num. prop. V. Λαοδ.
(*) Vid. T. I. n. 8. & 9.
(*c*) Haverc. Th. Morel. T. ii. Fam. Lollia lit. E. Muſ. Camp. p. 33.
(*d*) Strab. l. c. p. 649.
(*e*) Strab. ix. p. 440.
(*f*) Spanh. in Callim. p. 408.
(*g*) Strab. xiii. p. 620.
(*h*) n. 4.

---

(1) Latinus interpres, pro *Tralles* legit *Sardes*: Graeca enim τράλλεων habent.

(2) Haec Lariſſa inquit Holſtenius (*a*) poſtea *Tralles* vocata eſt, teſte Etymologo v. Εὔδονος. Vereor ſane, ut haec Etymologi verba, *Eudonus fluvius olim quidem Diae, & Eurymnes, & Lariſſae, nunc autem*

(*a*) Holſt. not. in Steph.

ajunt, & habuiſſe templum Apollinis Lariſſaei. Jovis, loco *Apollinis*, velim hic legas, meo periculo. Ut enim Lariſſaei cognomen Apollini etiam tribui poſſe ſciam, quem Lariſſa Theſſala coluit, & cujus caput ſuis in numis eadem ſculpſit teſte Spanhemio (*a*), hoc tamen loco *Jovis* legendum omnino arbitror. Idem enim Strabo ipſe poſtulat, qui paulo ante ex hac eadem Lariſſa *Jovis Lariſſaei* cognomen deductum ſcripſit, *fortaſſe, & hinc nomen Jovi Lariſſaeo*: neque vero haec tantum Lariſſa Jovem coluit, ſed & illa quae in Theſſalia fuit, cujus numi apud Goltzium, Begerum, Wilde, alioſque caput Jovis præſeferunt; ſed iterum in viam revertamur.

(*a*) Spanh. in Callim. l. c.

VIII. Cum tantus igitur fuerit iis in locis, in quibus *Tralles* poſitae ſunt, Jovis cultus, & religio, ſatis intelligis *Trallibus* Θεῶν Ὕπατον, ut illum apud Spanhemium (*b*) dixit Hierocles, non ultimum locum habuiſſe. Quid ſi praecipuum, ac Tutelare numen, atque Ὕπατον χώρας fuiſſe oſtendo? Id non aegre mihi perſuadent numi duo apud Vaillantium (*c*), alter Lucii Veri, alter Commodi, quorum averſa pars dextrâ Dianam Epheſinam refert, ſiniſtrâ Jovem ſedentem cum haſta, ſeu ſceptro, & victoriae ſigillo; a quibus numi cuſi ſint, indicat inſcriptio hujuſmodi Ἐφεσίων B. Νεωκ. Τραλλιανῶν ὁμόνοια. Noſti profecto hujuſmodi in numis, qui amicitiae, & concordiae cauſa, communi duarum urbium nomine ſignabantur, ea numina apponi conſueviſſe, quae in

(*b*) Spanh. ep. ad Beg.

(*c*) Vail. num. Graec. p. 63. 68.

---

tem Trallenſium ejus, quae Aſia dicitur, id ſatis aperte doceant. *Tralles* Lariſſae nomen olim fortaſſe habuiſſe, negare non auſim, cum id nominis pluribus aliis urbibus datum videam. At Lariſſam hanc, & *Tralles* unam eamdemque urbem fuiſſe, id non ſatis oſtendit vir doctus, atque ego quidem ex Strabone, qui multo ante Etymologum ſcripſit, hic enim ut citius, poſt Photium vivebat, teſte Sylburgio apud Fabricium (*a*), aliis recentior etiam eſt; ex Strabone inquam Lariſſam, & *Tralles* Epheſini agri, duas urbes fuiſſe inferre mihi poſſe videor; Strabo enim Lariſſam hanc, cum memorat, ſupra *Tralles*, ut modo dixi, Stadiis XXX. fuiſſe ait. Haſce autem *Tralles* ab iis, quae in Caria erant omnino diſtinguendas eſſe, animadvertet, qui locorum ſitus a Strabone deſcriptos diligentius conſideret.

(*a*) Fab. B. Gr. lib. v. c. 40. n. 5.

in unaquaque urbe potiſſimum colerentur. Id Octavio Falconerio approbante (*a*) Seguinus olim animadverterat, & ipſa numorum inſpectio luculenter teſtatur. Dianam porro, magnam Epheſinorum Deam, atque urbis illius Tutelam fuiſſe quis ignorat? Nemo igitur temere a me factum dicet, qui Jovem Tutelare Trallianorum numen fuiſſe velim, cum illum hujuſmodi in numis ſculptum videam. Sed illud etiam ex iiſdem auguror, cujuſmodi habitu atque ornatu Trallianorum Jupiter fingeretur. Non uno enim eodemque habitu Deorum Simulacra effingi conſueverant. *Labrandenus* Jupiter, cum haſta, & ſecuri, *Philalethes*, cum haſta, & aquila, gladium fortaſſe Χρυσάωρ gerebat; Ὁμόριος Cauloniatarum, apud Froelichium (*b*) fulmen vibrat, & vittas alia manu ſuſtinet (*). Si fides igitur duobus illis numis *Veri*, & Commodi habenda ſit, quidni autem habeatur? Trallianorum Jupiter ſedens effingebatur, dextrâ Victoriae ſigillum, ſin. haſtam ſeu ſceptrum tenens. Hujuſmodi ferme habitu atque ornatu Olympium Jovem, ut alios praeteream deſcribit. Pauſanias (*c*): *Sedet in ſolio Deus ex auro, & ebore factus, corona capiti impoſita eſt ad oleaginae frondis imaginem, dextrâ victoriam, & ipſam ex ebore, & auro praefert, cum tenia, & corona: laeva tenet ſceptrum, affabre expolitum & omnium metallorum varietate diſtinctum; quae avis ſceptro incumbit, Aquila eſt*. Adde huic Jovis Simulacrum in Piraeeo ab eodem Pauſania deſcriptum (*d*). *In Piraeeo vero, quae ſpectentur ſunt haec Jovis & Minervae fanum; aenea ſunt Simulacra Deorum, Jupiter ſceptrum & victoriam; Minerva haſtam tenet*. Cur autem Jovi victoria tribueretur, habes apud Phornutum, ſeu Cornutum mavis (*e*). *Pingitur interdum*, Jupiter, *tenens manibus victoriam: quare autem hoc? ut clareſcat ipſum vincere omnia, nec a quoquam vinci ipſum poſſe*. Sunt qui Deorum regi victoriam datam velint, ut illius teſtis eſſet, quam de Gigantibus retulit cum

Magnum illa terrorem intulerat Jovi
Fidens, Juventus horrida, brachiis,

Fra-

(*a*) Falc. de Num. Apam. p. 186. Seguin. Num. Select. pag. 19.

(*b*) Froel. Num. Vet. Tab. I. n. 2. & 3.

(*) Vid. Tab. I. n. 11.

(*c*) Pauſan. lib. V. c. XI.

(*d*) Id. lib. I. c. I.

(*e*) Phor. de Nat. Deor. c. 9.

Fratreſque tendentes opaco
Pelion impoſuiſſe Olympo.

ut ait Horatius (*a*): *Victoriae ſigillum*, inquit Froelichius (*b*) Jupiter *attinet* Νικηφόρος *dictus ob memoriam victoriae adverſus Titanas relatae, haſta pura indicium divinae poteſtatis habetur*. Utrâque ſane de cauſa cum Victoriae Simulacro effingi Jupiter potuit, & Νικηφόρος cognominari; ſed ea fortaſſe peculiaris Trallianorum Cariae, quod eorum in urbe Victoriae templum illuſtre fuit, in quo Palmam in baſi Statuae Caeſaris Dictatoris circa ejus bella civilia enatam; ipſamque Deam ad Simulacrum Caeſaris, cui ex obliquo collocata fuerat, ſeſe obvertiſſe apud Plinium & Dionem (*c*) legiſſe memini.

(*a*) Hor. Od. IV. lib. III.

(*b*) Froel. IV. Tentam. pag. 12.

(*c*) Plin. H. N. XVII. 25. Dio lib. 41.

IX. Ac Trallianos quidem Jovi ſuo Victoriam tribuiſſe numi teſtantur, eumdem Νικηφόρον cognominaſſe, cum documenta nulla ſuppetant, affirmare non auſim; praeſertim cum viros doctos dubitare videam, an Graecorum ullus Jovem hujuſmodi cognomento coluerit, eique templum ullum dicatum hoc titulo ſit (1): *Je ne trouve pas*, inquit Triſtanus (*d*), *que les Grecs l'ajent ado-*

(*d*) Triſtan. I. c. T. I. pag. 590.

(1) Factum id a Romanis, apud quos *Jovi Victori* aedes dicatae, & conditae ſunt: *Ipſe*, Qu. Fabius Maximus Rullianus Conſul an. U. C. 459. *aedem Jovi Victori, ſpoliaque Hoſtium cum voviſſet ad caſtra Samnitium perrexit*, inquit Livius (*a*): eidem *Jovi Victori* paucis poſt annis, anno ſcilicet 461. votum aliud voviſſe L. Papirium Curſorem ibidem lego (*b*): *In ipſo diſcrimine, quo Templa Diis Immortalibus voveri mos erat, voverat Jovi Victori, ſi legiones hoſtium fudiſſet pocillum mulſi, prius quam Temetum biberet, ſeſe facturum*: Haec vetuſtiſſima, quod ego ſciam, *Jovis Victoris* apud Romanos monumenta ſunt. Aedes, quam Fabius voverat, in Palatio Urbis regione X. fabricata eſt P. Victore referente, aliiſque Romanae Urbis Topographis conſentientibus. Quo anno factum id ſit ignoro, Idibus Aprilis dicatam fuiſſe ex Ovidio (*c*) didici.

Occupat Aprilis Idus cognomine Victor
Jupiter: hac illi ſunt data Templa die.

Lapides *Jovi Victori* dicatos bene multos apud Gruterum alióſque veterum inſcriptionum collectores invenies. Numi etiam Romanorum Imperatorum Jovem exhibent Victoriam gerentem cum epigraphe *Jovi Victori*: eorum nullum adhuc inveni anno vulgaris aerae LXXXV. antiquiorem; Occurrit enim primùm hic typus, & epigraphes in numis Domitiani apud Mediobarbum ejuſdem Conſulatu XI. percuſſis.

(*a*) Liv. X. n. 29.

(*b*) Num. 42.

(*c*) Ovid. Faſt. lib. IV. verſ. 621.

adoré ſous une epithete, qui le deſigne (Victor) *en leur langue : ſi ce n'eſt, que nous crojons, qu'ils l'ajent entendu ſous celuy de* Τρόπαιος. Jovis Tropaei templum apud Lacedaemones memorat quidem Pauſanias (*a*). *Tropaei Jovis aedem fecerunt Dorienſes bello ſuperatis, cum aliis Achaeis, qui tunc Laconicum ſolum tenebant, tum ipſis etiam Amyclenſibus* : Jovis hujus ſimulacrum, victoriam geſſiſſe, quod putat Triſtanus, neutiquam Pauſanias docet. Verum enim vero *Nicephori Jovis* templum, apud Spartianum in vita Hadriani, inveniſſe ſe putat Caſaubonus (*b*) : *habuit autem*, Hadrianus, *praeſumptionem Imperii mox futuri, ex Fano quoque Nicephori Jovis manante reſponſo*, inquit Spartianus. At ego Salmaſio aſſentior, qui optimorum Codicum auctoritate, *Jovis Nicephorii* legendum monet (*c*), ut nulla dubitatio ſit, quin de Nicephorio oppido capiendum ſit. Jovi ſcilicet ex loco, ut aliàs contigiſſe docui, cognomen factum eſt, non loco ex Jovis cognomine inditum nomen, ut Caſaubonus volebat. *Nicephorii* porro nomine illuſtres apud veteres fuere Fluvius, qui Tigranocertam praeterfluebat, *Tigranocertam*, inquit Tacitus (*d*) *urbem copia defenſorum & magnitudine moenium validam : adhaec Nicephorius amnis haud ſpernenda latitudine, partem murorum ambit* : ejuſdem nominis Meſopotamiae Urbs fuit, quae deinde *Conſtantina*, ſive *Conſtantia* (*e*) dicta eſt. *Nicephorium appellabatur*, inquit Stephanus (*f*) *Conſtantina, Urbs circa Edeſſam, authore Uranio*. Ejuſdem meminere Strabo, Plinius, Ptolemaeus, atque Iſidorus Characenus (*g*), quorum Iſidorus, & Plinius urbem ab Alexandro M. conditam teſtantur : *In vicinia Euphratis*, inquit Plinius, *Nicephorium uti diximus, quod Alexander juſſit condi propter loci opportunitatem* : Miror porro cur id a Seleuco factum ſcripſerit Froelichius : *Seleuci victoriis Nicephorium in Meſopotamia, in Armenia Nicopolis nomen ſumpſere* (*h*). Ab Hadriano Imperatore Romanorum Colonia facta eſt, huic enim tribuendum cenſeo cum Harduino (*i*) Hadriani ipſius numum cujus in averſa parte lego COLONIA. NICEPH. COND.

(*a*) Pauſ. lib. III. c. 12.

(*b*) Caſaub. not. in Spart.

(*c*) Salmaſ. not. in Spart.

(*d*) Tacit. an. XV.

(*e*) Suid. v. Νικηφ.

(*f*) Steph. v. Νικηφ.

(*g*) Strab. XI. p. 747. Plin. lib. V. c. 24. VI. c. 26. Ptol. V. 18. Iſid. Char. p. 3.

(*h*) Froelic. Annal. R. Syr. p. 16.

(*i*) Hard. l. c. v. Νικηφ.

COND. *Colonia Nicephorium Condita*. Typus numi Colonum exhibet boves agentem. Hunc eumdem numum cum protuliſſet Mediobarbus legit COLONIA. NIC. PH. COND. eumque *Nicopoli* a Trajano ad confluentem Iatri, & Danubii conditae tribuit. At quid illae literae PH. ſibi velint, author non docet; Aſſentior igitur Harduino legati NICEPH. & numum *Nicephorio* Meſopotamiae urbi cum eodem tribuo. Extat alius ejuſdem urbis numus apud Harduinum Graece inſcriptus NIKHΦOPION, cujus antica pars Gordiani Pii caput, poſtica Jovem cum victoria, & ſceptro exhibet. Jovis Templum in hac urbe fuiſſe, ex qua ille *Nicephorius* quemadmodum ex Lariſſa, *lariſſaeus* dictus ſit, multo ſane probabilius; hìc etiam fortaſſe Oraculum, quod Hadriano futuri imperii indicia praebuit.

X. Quamquam non longe a vero illum ego iturum arbitror, qui *Nicephorii Jovis* oraculum, & templum, prope Pergamum ſtatuat, in luco *Nicephorio*, quem Eumenes Attali Filius, Athenaei frater, conſeverat, ut author eſt Strabo (*a*): *Hic Urbem adornavit Pergamum, & lucum Nicephorium conſevit*: Umbroſi nemoris receſſus, & horror ſedes oraculorum idonea videri profecto poſſunt. Ac templa quidem eo in luco fuiſſe a Polybio diſcimus (*b*): *& poſtquam Nicephorium vaſtavit*, Philippus nempe Macedonum Rex, *luco penitus exciſo, everſoque Septo, multaque ibidem & pretioſiſſima templa ſolo aequavit*: ex his fuiſſe, cui *Nicephorium* nomen foret ex Diodori excerptis diſces (*c*) *Fana quin etiam in ſuburbanis Pergami ſita evertit*, idem Philippus, *Nicephorium inprimis omni apparatu inſtructum*: atque iterum (*d*), *Pruſias*, Rex Bithiniae, *conſilio, & ſpe capiendi Attali fruſtratus, Nicephorium ſub ipſis Pergami moenibus ſitum vaſtare coepit, ac templum quidem ipſum diſturbavit*. Utcunque ſe res habeat, Jovem Νικηφόρον, ut illuc redeam, unde digreſſus fueram, coluiſſe Graecos, eoque titulo cognominaſse, nulla ſatis certa documenta docent. Nam quod Liebeus (*e*) Nicaeum Jovem, cujus meminit Livius (*f*) *Perſeus*.... alte-

(*a*) Strab. lib. XIII. pag. 624.

(*b*) Polyb. excerpt. Valeſ. p. 67.

(*c*) Diod. excerpt. pag. 295.

(*d*) Id. pag. 336.

(*e*) Liebe Goth. Num. p. 321.

(*f*) Liv. l. 43. n. 21.

altero diem ad Templum Jovis quem Nicaeum vocant, poſuit caſtra, Victorem eſſe velit, non ſatis perſuadet, cum ex loco deductum cognomen eſse poſſit. Veriſimiliora fortaſſe afferri ex Hygino poſsent, qui (*a*) Hippomenem *Victori* Jovi in Parnaſſo ſacrificaſse ſcribit. *Hanc*, Atlantam, *cum in patriam reduceret, oblitus beneficio Veneris ſe viciſſe, grates ei non egit. Irata Venere, in monte Parnaſſo, cum ſacrificaret Jovi Victori, cupiditate incenſus &c.* At nolim unius exemplo gentis univerſae morem conſuetudinemque firmare. Illud etiam accedit, quo non invitus in ſententiam Triſtani adducor, quod Jovem Victoriae ſigillo, ab iis etiam effictum videam, quos Jovem alio cognomine inſignitum coluiſſe certum eſt. Unus exemplo ſit *Olympicus*, quem ſupra commemoravi, in Europa, atque Aſia, atque ubicumque Graecorum Coloniae fuerant illuſtris inprimis, ac nobilis. Ex quibus illud non temere ſtatuere mihi poſſe videor Trallianos, ut Jovi ſuo Victoriam dederint, illum tamen Νικηφόρον nequaquam cognominaſse.

(*a*) Hyg. Fab. 185.

XI. At, ſi quis, ut in re maxime obſcura, conjecturae locus ſit, Trallianorum Jovem, eorum ſaltem, qui in Caria fuere, *Lariſſaei* cognomen habuiſse arbitror. Neque id temere omnino. Cum enim Argivi *Trallium* conditores Jovem cognomento *Lariſſaeum* venerati maxime ſint, & *Jovis Lariſſaei* Templum Lariſsae Argivorum arcis fuiſse teſtetur Pauſanias (*b*): *in extrema arce, cui Lariſſa nomen, aedes eſt Jovis cognomento Lariſſaei*: quid eſſe unquam poteſt ſimilius vero, quam Argivos Jovis hujus *Lariſſaei* cultum Argis ſecum in Cariam detuliſse & *Trallibus* ſtatuiſse? Metropoleων numina in Colonias ſaepe tranſvecta, cum veteres Scriptores tradunt, tum luculentiſſimo numorum teſtimonio diſcimus. Nec leve indicium, quo populorum origines diſcas Dii ſaepe ſunt, quos iidem venerantur. *Plerique Coloni*, inquit Wachterus (*c*), *quamvis extra natale ſolum deducti, ſolebant tamen conditorum ſuorum inſtituta ſequi, eorumque ſicut linguam, ita etiam ritus & ſacra ſecum transferre: nonnunquam etiam nomen, & in-*

(*b*) Pauſan. lib. II. c. 22.

(*c*) VVachter. Archeol. Num. c. VIII.

& inſignia ſervare, & ad poſteros tranſmittere. Hinc Dii communes, & ſymbola communia plerumque ſunt patriae antiquae indicia, etiamſi nomen ea occultare videatur. Haec Wachterus. Hinc Teneates Tenediis cognatos fuiſse, ab Apollinis cultu apud utroſque ſimili, deduxit Strabo: *Videtur etiam cognatio quaedam cum Teneatis eſſe Tenediorum a Tene Cygni filio, ut Ariſtoteles tradit, magnumque ejus argumentum, Apollinis cultus apud utroſque ſimilis praebet* (a). Neque hic praetermittendus *Metrodorus* ille Trallianus, quem *Jovis Lariſsaei* Sacerdotem fuiſse, ex Strabone ſupra docui; Hujuſmodi enim Sacerdotio, non leve conjecturae huic meae pondus accedere, facile quiſque videt.

(a) Strabo lib. VIII. pag. 380.

XII. Sed ne ego ineptus ſum, qui de Tralliani Jovis cognomine tam multis diſputo, cum illum ΛΑΡΑΣΙΟΝ Trallianorum numi aperte nominent? Numus eſt in Muſaeo Britannico (b), cujus adverſa pars ſenilem exhibet protomen laureato capite hujuſmodi cum epigrape ΖΕΥΣ ΛΑΡΑΣΙΟΣ (*); pars vero averſa Bacchum nudum, & ſtantem profert, dextrâ uvae racemum, ſin. Cantharum gerentem his circa caput literis ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ. Habes igitur, quod multis quaerebamus Tralliani Jovis cognomen. At quid nova haec vox Λαρασιος, atque hoc primum in numo quod ſciam, inventa, quid inquam ſibi vult? An regionis locive ignoti nomen eſt? an duplici ex voce compoſitum elogium? Jovem *Aſium* noveram ſane, cum apud Stephanum legiſsem (c): *Aſus oppidulum Cretae, Oppidanus Aſius vocatur. Hoc enim nomine Jupiter ibi colitur, & Templum Jovis Aſii eſt antiquiſſimum*: At Jovem *Laraſium* nunc primum audio. Haimius, qui numum vulgavit, *Aſiae* Regem voce illa deſignari Jovem, ſuſpicatur (d): *Non ſarebbe forſe il ſignificato di queſto epiteto Rex Aſiae; perche mi ricordo d'aver letto, che Lar ſignificava in lingua Etruſca Re o Signore?* At fallitur vir doctus. Ac primum quidem eorum falſa opinio eſt, qui eo Auſonii verſu (e):

Tertia opima dedit ſpoliatus Aremorius Lars.

alio-

(b) Muſ. Brit. l. c. num. IV.

(*) Vid. Tab. I. n. 10.

(c) Steph. v. Ἄσος.

(d) Muſ. Brit. l. c.

(e) Auſon. in his.

aliorumque fortaſse authoritate, *Lar* Etruſcorum vocem, *Regem* interpretantur ac *Ducem*. Cum tot enim ſint, ut alia omittam, Etruſcorum urnae, aliae eximii, atque elegantis, aliae vilis, & rudis operis, in quibus vox iſta, vel integris elementis, vel primo tantum, ſculpta coloribuſve depicta viſitur, ut in his duabus in agro Cluſino biennio ante, ni fallor, inventis.



quis ſibi perſuadeat eos omnes, quorum illic ſuprema condita ſunt Etruſcorum reges duceſque fuiſſe? Hoc qui attente perpendat, vix opinor dubitabit, quin vox illa Etruſcorum praenomen (1) fuerit a Romanis ipſis aliquando uſurpatum, ut ipſorum conſulares Faſti teſtantur, in quibus anno U. C. CCCVI. *Lar Erminius Aquilinus* conſul legitur. Illud deinde accedit novum atque inſolens, epithethon Etruſca, & Graeca voce conflatum, cujus rei, an ullum proferri exemplum queat non temere dubito. Quod cum ſtatuo nolim credas in eorum me ſententiam deſcendiſſe, qui Etruſcae linguae ullam cum Graeca cognationem eſſe omnino negant.

Non opis eſt noſtrae tantas componere lites.

quan-

(a) Paſſeri lett. Ronc. apud Calog. T. 22. lett. 3.

(1) Lar ſaepe etiam *Manes* ſignificat, ut ex Auguſtino, & Apulejo viri docti contendunt: *Che Larthi*, inquit V.C.I.B. Paſſerius (a) *non ſia ſempre prenome nell' urne, ma molte volte formola religioſa, ſi può cavare dalla grandiſſima frequenza colla quale negli epitafj s' incontra, non eſſendo credibile, che tutti gli uomini, ſi chiamaſſero Larthi.... e notabile ancora, che alle volte queſta voce precede un altro cognome, onde, ſe non vogliamo dire, che coloro due cognomi aveſſero, ci converrà appigliarci al partito di credere, che Larthi ſia una formola Sepolcrale*: Hinc ex iis titulis quos ſupra protuli priorem ſic interpretor *Larthi Caj. Acrei*. Sunt qui *Lars Larthis* dici velint cum vox haec praenomen eſt; cum vero *Manes* ſignificat *Lar Laris*. At id apud Etruſcos in more poſitum neutiquam fuiſſe eorumdem urnae, & Sepulcrales tituli non dubie oſtendunt, ut idem Paſſerius animadvertit,

quantas hac ſuper re viros doctos moviſſe video. Sed ut illa etiam vera eſſe concedam, quae Paſſerius (*a*), diſputat: *Totam linguam Etruſcorum, ex Graeca, cum adhuc cruda, & inculta eſſet, proceſſiſſe; non quidem ex illa, qua Graeci Scriptores uſi ſunt; ſed utique antiquiore, dum adhuc Phoeniciam, unde proceſſerat, & Aegyptum reſonaret*. Ut illa e Graeco fonte deducta eſſe concedam Deorum nomina: *Juve*, *Cupra*, *Tina*, *Tinia*, *Thalna* (1) *Turms*, *Turan*, *Laran &c.* quibus Etruſci *Jovem*, *Junonem*, *Palladem*, *Bacchum*, *Lucinam*, *Mercurium*, *Venerem*, *Martem* deſignabant, ut idem Paſſerius erudite contendit: ut hæc inquam ultro concedam, illud tamen haud dubitanter affirmo *Lar* peculiarem, & *Topicam*, ut ita dicam Etruſcorum vocem fuiſſe, neque uſquam quod ſciam a Graecis uſurpatam. Hinc illius vocis Λαρασιος vim poteſtatemque è Graeca tantum lingua deſumendam ſtatuo. At id aliorum erit, neque enim tantum mihi ipſi ſumo, ut certam, & legitimam hujuſce vocis notionem afferre queam. Nam illud vix proferre audeo, quod olim ſuſpicabar Λαρασιος idem ac *jucundus*, ſeu *dulcis Deus*, ex Λαρὸς ſcilicet *jucundus*, *dulcis*, & σιὸς, quae vox *Deum* apud Dorienſes, & Lacones, ſignificat teſte Ariſtophane (*b*) νὴ τὼ σιώ: Per Jovem: χλεῶια τὸν αμυκλαις απολλω σιὸν: Apollinem in Amyclis celebrans Deum: cui addendus Athenaeus (*c*): *Thiaſos iſtos, ab apellatione Dei, quem Lacones* σιὸν *vocant, nominarunt*; plura de hac voce dabit Spanhemius in epiſtola ad Begerum, quam non ſemel laudavi.

XIII. Sed, & illa mihi orta ſuſpicio eſt, eo in numo non λαρασιος ſed λαρισαῖος legendum eſſe. Negat id Haimius: *perchè la medaglia eſſendo conſervatiſſima non v' ha luogo di fare un tale equivoco*: at numiſmatis integritatem, literarumque elegantiam, lectoris errorem omnem amovere poſſe non diffiteor, Tralliani vero *moneta-*

(*a*) Paſſeri de Hellen. Etruſc. n. 1.

(*b*) Ariſtoph. αχ*ρ. V. 903. Λυσ. v. 1301.

(*c*) Athen. VIII. 16.

(1) ocem hanc gentis Juvenciae apud Romanos cognomen fuiſſe lego apud Livium (*a*), qui T. Juvencium Thalnam a. U. C. 560., Praetorem nominat.

(*a*) Liv. lib. XXXIV. n. 42.

netarii peccatum, qui λαρασιος, pro λαρισσᾶιος ſculpſerit, quomodo amovere eadem poſſint, non video. Quam multi ſunt numi integri, literis dilucidis, & perſpicuis *monetariorum culpâ* vitioſis! oſtendit id eruditiſſima diſſertatione Froelichius, atque experientia magiſtra norunt, qui veterum haec Cimelia pertractant. Neque vero movere quemquam debet, quod communi ορθογραφια duplici σσ *Lariſſaeus* ſcribi ſoleat, nam, & λαρισᾶιος plura exhibent monumenta, a Spanhemio, & Kuhnio (*a*) obſervata: *Lariſſae numi*, inquit Spanhemius *cum uno σ nempe λαρισα & λαρισαιων, efferri vulgo, loci nempe, ac gentile nomen conſuevit, id quod jam ab eruditiſſimo Holſtenio ad Stephanum monitum video .... ac obſervare mihi contigit, prout & λαρισαιος nonnumquam legitur in veterum libris &c.* quam facile igitur fuit oſcitanti monetario pro λαρισαιος, ſculpere λαρασιος. Facilius etiam contingere id potuit, ſi λαρυσιος legendum fortaſſe ſit. Bacchum *Lariſio* in monte cultum fuiſſe habes apud Pauſaniam (*b*): *Libero vero Patri ſupra Migonium ſacer mons eſt, quem vocant Lariſium, eodem in loco vere ineunte feſtos agitant Libero dies: Sacri quum alias referunt cauſas, tum quod ibi primum uvam maturam repererunt*. Hinc Bacchus λαρυσιος; quidni & Jupiter? Annon ſaepe factum, ut idem cognomen, pluribus Diis tribueretur? Jovem, & Apollienem *Lariſſaeos* vidimus; adde his etiam Minervam Pauſania auctore (*c*): *Agri fines inter Achaeos, & Eleos Lariſus amnis eſt, & in ipſa fere ripa fluminis Templum Minervae Lariſſaeae*: nec temere fortaſſe factum, ut idem Trallianorum numus hinc Jovem, inde Bacchum referat, atque hunc quidem, cum uvae racemo; quem Bacchum *Lariſium* praeferre oportuit, ut ex iis quae narrat Pauſanias facile vides. Utriuſque cultum, & cognomen ab Argivis ex Peloponeſo in Aſiam tranſvectum, quam ſit ſimile vero, nemo non intelligit. Fortaſſe etiam λαρασιος apud Cares, & Lydos, pro λαρυσιος uſurpatum, cujus rei exempla proferre ſi vellem, reperire non adeo difficile foret. Sed haec conjecturae ſunt inquis, ita ſane;

(*a*) Spanhe. in Call. p. 407. Kuhn. in Pauſ. lib. VII. c. 17.

(*b*) Pauſ. lib. III. n. 22.

(*c*) Pauſ. VII. c. 17.

ne: at obſcura adeo in re, quid aliud, quam probabiles conjecturas afferas?

XIV. Quid Aquilae, & fulmen Tralliano in numo Jovis capite inſigni ſibi velint, facile quiſque opinor aſſequitur. Quis enim neſciat eſſe Aquilam

Miniſtrum fulminis alitem
Cui rex Deorum regnum in aves vagas
Permiſit expertus fidelem
Jupiter in Ganimede flavo. (a)

(a) Hor. od. IV. lib. IV.

atque ea de cauſa Ζῶον Βασιλικὸν ab Aeſchili ſcholiaſte apud du Cangium (b) nominari. Cur Aquila Jovi ſacra ſit, docet Phornutus: *Aquila Jovi dicata, quod volandi pernicitate, aves omnes excellat:* (c) Sed aliam rei hujuſce cauſam ex Aglaoſthene refert Caeſar in Arato apud Lactantium, Aquilam ſcilicet Jovi in littore ſacrificanti, cum is ex Inſula Naxo adverſus Titanas proficiſceretur, in auſpicium advolaſſe, quam is Victor bono omine acceptam ſuae tutelae ſubjugarit (d). Cur fulmen gerat hanc Plinius cauſam reddit, *e volucribus Aquilam fulmen non percutit, quae ob hoc armiger ejus teli fingitur* (e). Nec illud minus notum fulmen *Jovis ignem* appellari: *Ipſa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem:* inquit Virgilius (f). Nonnulla hic de fulminis figura dici commode poſſent, non enim una fuit fulminis fingendi ratio; ſed numi parte, ubi caelatum fulmen eſt, detritâ, quaenam illa ſit, noſcere non ſatis valeo; adde quod omnia jam praeoccupavit clar. viri utriuſque noſtrum amiciſſimi doctiſſima illa epiſtola, quae in Romana Ephemeride anni 1754. vulgata eſt. Cur vero Aquilae hic duae, ſi modo avicula illa Aquila eſt, ignorare me fateor, & quoniam probabilia quae dicam, non habeo, aliis id quaerendum relinquam.

(b) Du Cange Numiſm. Inf. Aev. §. XI.

(c) Phorn. de N. D. c. 9.

(d) Lactan. Div. Inſt. I. c. XI.

(e) Pli. H. N. II. 55.

(f) Virg. Aen. I. v. 46.

Haec ſunt, quae de tuo hocce numo differenti ſeſe obtulere, *in tenui labor* fortaſſe, at *tenuis non gloria*, ſi tibi haec qualiacumque ſint non ingrata fuiſſe accepero. Uberiorem, eruditiſque viris gratiorem, ut ſpe-


 ro,

ro , dicendi copiam ſuppeditabunt plura alia ex locupleti iſtâ tuâ , ſelectâque numorum veterum gazâ ἀνέκδοτα & nondum vulgata , quae , ſi per otium , & ſeveriora noſtra ſtudia licebit , illuſtrare aggrediar ; Interim vale .


Romae ex Scotorum Collegio XI. Kal. Octobris CIƆIƆCCLXI.

Numiſmata , quae in hac diſſertatione citantur adiecta tabula lectorum commodo exhibebit .


DISSER-


1.
ΕΠΙ·ΜΟΔΕϹΤΟΥ
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ
7.
ΠΟ ϹΕΠΤΙ. ΜΙΟϹ ΓΕΤΑϹ ΚΑΙϹ
Æ
Μ Λ Υ Α
ϹΕΩΝ
4.
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ
3.
ΚΑΙϹ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ
Æ
ΤΙΒ
ΚΑΙΣΑΡ
ΚΡ.ΤΟ.Β
ΝΥΣΑΕ
ΩΝ
8.
ΓΑΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ
Æ
ΕΠΙ ΚΟΛΛΙΟΥ
ΚΛΑΣΣΙΚΟΥ
2.
ΙΕΡΑ ϹΥΝΚΛΗΤΟϹ
Æ
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ·ΠΡΩΤΩΝ·ΕΛΛΑΔΟϹ
ΟΛΥΜΠΙΑ
ΠΥΘΙΑ
6.
5.
ΤΡΑΛΛΙ
ΑΝΩΝ
Æ
ΤΡΑΛΛΙ
ΑΝΩΝ
10.
ΖΕΥΣ ΛΑΡΑΣΙΟΣ
Æ
ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ
9.
ΑΥ ΜΑΥ ΑΝΤΩΝΙΝΟϹ
Æ
ΑΤΤΑΛΟϹ ϹΟΦΙϹΤΗϹ·ΤΑΙϹ·ΠΑΤΡΙϹΙ
ϹΜΥΡ·ΛΑΟ
11.

Tab. II.



Lapis Chriſtian



...um inventus in Coemeterio Cyriacae ad loculum cruento vaſe ſignatum Anno 175...

DISSERTATIO II.

DE ANONIMI MARTYRIS

EPITAPHIO

AD ROCCHUM SCOTTUM

E SOCIETATE JESU.

QUOD Graecam iſtam tuam inſcriptionem in Cœmeterio Cyriacæ ante annos ſeptem ad Martyris loculum repertam, ſerius quam promiſeram, interpretandam ſuſceperim, partim occupationibus meis graviſſimis factum eſt; partim etiam, quod ab iis, qui elogium iſtud interpretati fuerant, diſſiderem; atque *Aegaei* nomen perperam Martyri illi tributum exiſtimarem. Nolebam enim eo rem conjecturis meis deducere, ut vulgatam, atque apud omnes jamdiu uſurpatam appellationem in dubium revocarem; quod nonnullis moleſtum, tibi ipſi fortaſſe minus jucundum futurum eſſe videbam.

At quoniam me ſaepius rogas, & pro veteri noſtra amicitia propemodum imperas, ut quid me ab aliorum ſententia abduxerit, palam faciam, cum ſubciſiva quaedam tempora incurrerint, quæ perire non aequum eſt, quod pollicitus fueram, aggrediar, non tam interpretationem meam probandi tibi ſpe, quam amori tuo

obſequendi voluntate. Malo enim, ut Bruto illi ſuo ajebat Cicero, cum ſtudio tuo ſim obſecutus deſiderari a te prudentiam meam, quam ſi id non fecerim, benevolentiam.

Ac primum interpretationem ipſam rudibus elementis efformatam ſic lego, & latine interpretor.

ΠΙΣΤΙΣ	Fides
ΤΩ ЄΙΔΙΩ	Proprio
ΑΔЄΛΦΩ ΜΝΗ	Fratri
ΜΗΝ ΑΝЄΘΗ	Memoriam
ΚЄΝ	Poſuit

Age nunc dum ſingula paulo attentius conſidero, quid meditanti occurrerit accipe.

§. I.

ΠΙΣΤΙΣ.

NOnnullos fuiſſe intelligo, qui πιϛὶς legerint, eo fortaſſe quod ϛίγμα inter, & quod proxime ſequitur elementum, ſatis aptum ſpatium interſit graeco Ἰῶτα excipiendo, quod Quadratario fortaſſe excidit; excidit inquam, neque enim ulla in marmore deletæ, ac temporis vetuſtate corroſae litterae veſtigia apparent. Illud etiam, ni fallor, hominem in eam pertraxit ſententiam, quod alterum ϛίγμα ante ταῦ deprehendiſſe ſibi viſus ſit: quod tamen longe ſecus eſt. Una quippe litera ταῦ charactere illo exprimitur Lapidi a Quadratario negligentius inſculpta; quam ſi attentius conſideres, illi ferme ſimilem invenies, qua nos *Tau* minori figura exprimere ſolemus.

Malim igitur πίϛις legere. Nota eſt apud Graecos vox, quam latine *Fides* transferes. Quarum utraque hominibus proprio nomine deſignandis uſurpata olim eſt. Illuſtris apud Gallos, teſte Tillemontio (*a*), FIDES Agennenſis Virgo & Martyr, cujus acta exhibuit Labbaeus (*b*). *In Galliis*, leges apud Adonem VI. Octobris, civi-

(*a*) Tillemont. T. 4. p. 543.

(*b*) Labbaeus Bib. Mss. T. 1. p. 528.

nivitate *Agenno Sanctae FIDIS*, *Virginis*, *& Martyris &c.* Ἄθλησις τῶν ἁγίων τριῶν Παρθένων, καὶ Ἀδελφῶν ΠΙΣΤΕΩΣ Ἐλπίδος, Ἀγάπης &c. habes in Menologio (*a*), quod vocant, Baſilii 18. Kal. Oct. In Romano Martyrologio Kal. Aug. leges: *Romae Paſſio SS. Virginum FIDEI*, *Spei*, *& Caritatis &c.* Eadem latinis literis græco ſono ſic ſcripta vidi in Kalendario Marmoreo, quod extat in veſtibulo Eccleſiæ S. Silveſtri in Capite. *Menſe Septembri die 30. Natale S. Sophiae Viduae*, *Piſtis*, *Helpis*, *& Agapae*: fortaſſe a Graecis Monacis, quos a Copronimo Oriente ejectos Paulus primus Romae excepit, extructoque hoc in loco, ubi paternae illius aedes fuerant, Monaſterio, quod *ad SS. Martyres in Schola Graecorum* dictum eſt, collocavit; nec alias eſſe reor, quarum meminit indiculus Oleorum, quae Gregorius M. miſit ad Theodolindam Reginam apud Mabillonium (*b*). *oleum S. Spei*, *S. Sapientiae*, *S. Fidis*, *S. Caritatis*.

(*a*) Menol. Baſ. Tom. 1. p. 45.

(*b*) Mabil. de Cultu SS. ignotorum. p. 120.

Novi equidem, Sollerium haec Virginum nomina *appellativa* potius, quam propria exiſtimaſſe: *Haec nomina*, inquit (*c*) *quae rariſſimo*, *mihique ſaltem non noto exemplo apud Graecos Graecè*, *apud Latinos Latinè enunciantur*, *appellativa potius*, *quam propria dicenda videntur*; *accepta ſcilicet a glorioſo certamine*, *quo pro Fide Chriſti tanta Spe*, *& Caritate praeditae*, *duce Sapientia Martyrii palmam ſunt conſecutae*: Viri docti conjecturam improbare non auſim; non is tamen ſum, qui voces illas *propriorum nominum* vice fungi minime poſſe exiſtimem, quod eas Graeci Graecè, Latini Latinè reddiderint. Vetus enim mos eſt interpretum complurium, ut nomina ipſa transferant ex aliena lingua in ſuam, nec eorum ſonum ac ſyllabas, ſed ſignificationem repraeſentent. Cujus rei exempla plurima a Grotio allata fuiſſe dicit Huetius, quibus haec ille (*d*) adjecit: *Iſaacum*, *cujus nomen Hebraicè riſum ſonat*, γέλωτα *appellat Alexander Polyhiſtor*. *Eſau*, *cui & Edom*, *hoc eſt Rufo*, *nomen fuit*, *Erythras a Graecis dictus eſt* . . . . *Qui Cephas a Chriſto nomen habuit*, *Petrus a Graecis eſt nuncupatus &c.* Quis igitur miretur latina

(*c*) Act. SS. T. 1. Aug. p. 16.

(*d*) Huet. Dem. Evang. T. 1. p. 246.

na haec nomina *Fides*, *Spes*, *Caritas* Graecum Scriptorem patriis vocibus πίστις, ἐλπίς, Ἀγάπη, interpretatum fuiſſe. Sed ut rem Lapidum teſtimonio tibi probem, haec habeto, quae veterum Inſcriptionum Theſauros, quos vocant, pervolutanti occurrerunt. *Caſperiae FIDE* apud Fabrettum (*a*) legiſſe memini, ubi *Fide* pro *Fidei* uſurpatum malo, veteri more Grammaticis non ignoto, quam negligentiae, & oſcitantiae Librarium, vel Quadratarium, nullo teſte, accuſare. Αντισθεια ΠΙCΤΗ apud Lupum noſtrum (*b*) in praeclaro illo opere, quo Epitaphium Severae Martyris illuſtratur. *Antonia SPES*, *Geminius SPES* apud eumdem Fabrettum (*c*) inveni, *SPES Epiſcopus* apud Donium (*d*). ΕΛΠΙΔΙ αδελφη apud Fabrettum, (*e*) ΕΛΠΙΣ apud Gruterum (*f*). PISTE SPEI *Sorori dulciſſime*, apud Boldettum (*g*), ubi illud PISTE obſerves velim, Graecum, opinor, nomen latinis literis, ſed Graeco ſono, ut Sollerius optare videbatur, expreſſum. Nec alio e fonte deducta ſuſpicor haec, quae apud Fabrettum (*h*), & Gruterum (*i*) leges: *Poppee Piſte*: *Piſtus Dulcis anima*: *Terentiae Piſte*: *Aufidiae Piſte*. Verum reliqua proſequamur. ΑΓΑΠΗ invenies apud Placentinum (*k*). Latina vox *Caritas* nondum, quod ego ſciam, ex Lapidibus emerſit; occurret fortaſſe diligentius inquirenti. Quid enim eſt cur verear, ne non inveniri queat: cum *Pietas*, *Probitas*, *Hilaritas*, *Felicitas* (*l*), & his ſimilia virorum, ac mulierum nomina in iiſdem reperiantur.

Haec congeſſi, tum ut oſtenderem appellativa haec Πίστις, Ἐλπίς, Ἀγάπη, *Fides*, *Spes*, *Caritas* apud Graecos, & Latinos, hominibus proprio nomine deſignandis uſurpata fuiſſe, tum etiam, ne alicui temere, ac nullo authore, quae Graece Πιστις appellatur, *Fides* latine a me dicta eſſe videretur.

(*a*) Fab. Inſc. Dom. cap. 4. n. 461. p. 326.

(*b*) Lupi Sev. M. Epit. pag. 62.

(*c*) Fab. cap. 5. n. 219. p 384 c. III. p. 215. n. 549.

(*d*) Doni. Inſcr. Claſſ. 20. n. 1.

(*e*) Fab. cap. 3. n. 19. p. 144.

(*f*) Grut. p. 791. n. 8.

(*g*) Boldet. Oſſer. sù Cimit. Lib. 1. cap. 14. p. 58.

(*h*) Fabr. cap. 4. n. 112. p. 267. Idem cap. 8. n. 156. p. 576.

(*i*) Grut. p. 470. n. 2. Id. pag. 974. n. 7.

(*k*) Placent. de Siglis Graecorum p. 123.

(*l*) Fab. cap. 9. n. 9. p. 601. Idem cap. 5. num. 109. p. 364. Vignol. Inſcr. Select. p. 270. Fab. c. III. n. 464. p. 199.

§. II.

§. II.

ΤΩ ΕΙΔΙΩ ΑΔΕΛΦΩ.

HOc ſcilicet illud eſt, quod te, diu anxium ſollicitumque habet. Quid ſit quod ego graeca illa verba τω ειδιω αδελφω, non *Aegaeo Fratri*, ut priori interpreti viſum eſt, ſed *proprio Fratri* explicanda cenſeam. Age igitur experiamur, quis noſtrum melius interpretationem ſuam tueatur, egone, an tuus ille interpres, ignotus mihi penitus, niſi quod Graecum adoleſcentem veterum caracterum non ſatis gnarum, & peritum, fuiſſe, non levis mihi ſuſpicio eſt.

Sic igitur ſentio *Aegaei* nomen non ex lapide eruiſſe illum, ſed ex ingenio ſuo, novum ac recens procudiſſe. Ut enim tantiſper omittam, tertium illud elementum vocis ειδιω quod γάμμα illi eſt, δέλτα omnino eſſe; ut hoc inquam omittam, doceat velim, cur hic Ειγιω pro Αιγαιω poſitum ſit; atqui ita ſcribendum erat, ſi Chriſti Martyri *Aegaeo* nomen fuit. ΑΙΓΑΙΑΝ, minime vero ΕΙΓΙΑΝ, leget in Graeco Epigrammate apud Donium *(a)*. Quid dicturus ſit, ſane non video; neque enim eo confugiet, opinor, quo frequentius, quam par eſt, confugere nonnulli ſolent, ut vel authoris in ſcribendo, vel in ſculpendo Quadratarii negligentiam culpent? Ut enim in hoc lapide rudi ſcalpello litterae efformatae ſint, Ορθογραφιας tamen leges violatas jure nemo dolere poteſt. Ειγιω igitur legere oportebat, atque *Igii* nomen Chriſtiano Athletae tribuendum fuerat. Lectionem iſtam non levibus conjecturis firmare potuiſſet; nam & ΥΓΕΙΗ apud Gruterum *(b)* inveniſſet, & ΥΓΕΙΝΟΝ αδελφον apud Muratorium *(c)*, & ΥΓΙΑ apud Marangonium *(d)*, cujus inſcriptionem integram proferam §. V. Neque vero deterreri hominem oportuit, quod hic ειγιω ſcribatur, in allatis vero exemplis ΥΓΙΑ &c. Diphthongum enim ει pro Υ apud veteres uſurpatam fuiſſe non uno exemplo docuit Salmaſius *(e)*, ει *pro* υ *in multis vocibus.*

(a) Doni. Inſcript. Claſ. 1. n. 104.

(b) Grut. pag. 700. num. 2.

(c) Mur. Inſcrip. p. 1205. n. 10.

(d) Marang. Act. Victorin. App. p. 135.

(e) Sal. not. in Inſcr. Herod. Attici p. 16.

cibus iidem veteres ſcribebant , μειϰρον , *pro* μυϰρον , *di-centes* μειωπα *pro* μυωπα.

Quamquam uti paulo ante dixi, tertiam illam literam, quae Graeco interpreti γάμμα viſa eſt, δέλτα eſſe audacter fidenterque pronuncio. Atque ut ipſe rem perſpicias, ipſum tibi ante oculos marmor ſtatuas velim, & ſecundum vocis illius Αδελφω elementum conſideres, videbis profecto, vel ego fallor, eadem, ut ita dicam, lineamenta, quae in tertia vocis αδιω litera apparent, ut una eademque proinde ſit. Utrobique linea recta ſiniſtrâ dextrorſum cadens curvae conjungitur; in priori quidem voci αδιω prope ad medium, in altera vero ad imum; hinc non temere ſtatuiſſe mihi videor utrâque literâ Graecum δέλτα efformari, atque idcirco αδιω non αγιω legendum eſſe.

Eſto, inquis. At cur *Proprium* interpretaris, non *Idium*? An negas vocem αδιω proprio nomini deſignando inſervire poſſe? Minime gentium. Quam multa enim ſunt ex hiſce verbis, quae *adjectiva* Grammatici vocare ſolent, hominibus attributa, queis ſuo quiſque proprio, & certo vocabulo appelletur? Sexcenta horum exempla dabunt Gruterus, Donius, Muratorius, aliique antiquarum Inſcriptionum collectores, quos vocant. Unum aut alterum hic tantum proferam; primum exhibet lapis Chriſtianus, cujus ἀπόγραφον ex Cl. V. Fabio Danzetta S. J. accepi, qui apud ſe lapidem cuſtodit.

A ☧ Ω
PERPETVO BENEMERENTI IN PACI....
QVI VIXIT ANNOS. PLM. XXX. M....
DEPOSITVS IDVS APRILIS DEFVI....
OFITVS PERIT IN DIES V
POS CONSVLATV-VICTORI....
VALENTINIANI. NOBI...... (1)

En

(1) Pertinet ad annum Chriſti 370., qui proxime excepit Conſulatum Victoris U. C. & Valentiniani., qui & Galates dictus eſt, nobiliſſimi Pueri Valentis Filii. In tertio verſu *Defunctus Neofitus* lego. Dies quinque *Perpetuum* aegrotaſſe habes, quod neſcio an alibi occurrat.

En tibi Chriſtianum hominem, cui *Perpetuo* nomen fuit. Alterum dabit haec pulcherrima inſcriptio, quam exſcripſi olim in vinea Comitis Pelucchi.

T. FLAVIO . AVG. LIB
EVSCHEMONI
QVI FVIT AB EPISTVLIS
ITEM PROCVRATOR
AD CAPITVLARIA
IVDAEORVM
FECIT
FLAVIA APHRODISIA
PATRONO ET CONIVGI
BENEMERENTI

Εὐσχήμων, *Decens* nempe *ſpectabilis*, *Honoratus* nomen fuit Graeco huic Flaviae gentis, non ut quidam perperam ſcripſit Caeſaris Auguſti liberto (1) antequam li-

E ber-

(1) Norunt qui

Laevo ſuſpenſi loculos, tabulamque lacerto,

Ludi-magiſtros adeunt, ſervos, qui manu a Romanis mittebantur, Patroni ſui praenomen, nomenque adſumere, & proprio praemittere conſueviſſe. Qui igitur *T. Flavius Auguſti Libertus* inſcribitur, hic a T. Flavio Veſpaſiano, vel ab ejuſdem filiis Tito, & Domitiano libertate donatus eſt, minime vero a Caeſare Auguſto. Sed nec aſſentior, ut hic Libertus Judaici cenſus ab Auguſto inſtituti Procurator fuerit. Illum ego tributi illius Exactorem malim, quod Veſpaſianus Judaeos pendere juſſit, uti narrat Fl. Joſephus (a). *Tributum vero Judaeis ubicunque degentibus indixit, & quotannis binas quemque drachmas in Capitolium inferre juſſit, quem admodum in Templum Hieroſolymitanum prius inferebant*: Hujuſmodi Tribntum cum in capita perſolveretur, Capitulare Tributum dici potuit Επικεφάλαιον Φόρος dicitur in veteri Lexico Graeco-latino, ejuſque Exactores *Capitularii*, vel *Procuratòres* ad *Capitularia*. Aſt harum vocum multiplices ſenſus, & pleniorem explicationem dabunt du Cangius in Lexico, Jac. Gothofredus (b) in Codicem Theodoſianum, & Juretus in Notis ad Epiſtolas Symmachi (c).

(a) Fl. Joſeph. B. J. VII. 6.

(b) Goth. C, Th. l. 3. de Privil. eor. qui in S. P. mil.

(c) Jur. in Sym. lib. IX. pag. 229.

bertatem conſequeretur : liber tertium addere, quod in Coemeterio S. Hermetis reperi.

REVERENTI IN PACE
QVI VIXIT ✿ AN
NOS III. MESIS II. XXIIII (1)



Neque vero exempla alia deeſſent, quae conjecturam hanc tuam firmare poſſent; habes enim *Idum* neſcio quem, & *Idiam* inter propria Virorum, ac mulierum nomina a Scaligero in Gruterianis indicibus relata, quorum Epigrammata apud Gruterum invenies *(a)*. Ut Medaeae Matrem omittam, quam *Idiam* vocatam legiſſe memini.

(a) Grut. pag. 881. n. 12. p. 1135. n. 13.

Sed ut haec credibilia ſint, & ſimilia veri, ab eo tamen plurimum abſum, ut Martyrem tuum *Idium* nominandum putem. Rem enim paulo attentius conſideranti ea demum mihi nativa vocis illius vis, ac poteſtas eſſe videtur, ut non alia ſignificatione eo loci, quam, qua a me expreſſa eſt, accipi poſſit. In hanc me ſententiam illud potiſſimum pertraxit, quod Graeca Epigrammata bene multa nactus ſim, quae hujuſmodi *Πλεοναſμον*, uti a Falconerio *(b)* vocatur, exhibeant. Ac primum *ὁ ἴδιος ἀδελφος* non alio, quam quo dicebam ſenſu, habes apud Fabrettum *(c)* in Epitaphio M. Argenaei, cujus hic praecipua referam.

(b) Falcon. Inſcr. Athlet. pag. 86.

(c) Fabr. capit. 9. n. 52. p. 606.

Δ. M.	D. M.
M. ΑΡΓΕΝΑΙω	M. Argenaeo
ΕΥΤΑΚΤω. ΛΕΙΒΕ	Eutacto. Libe-
ΡΑΛΙΣ. Ο. ΙΔΙΟC. Α	ralis (proprius)
ΔΕΛΦΟC ΤΗΝ ΚΑΜΑ	Frater Cameram
ΡΑΝ ΜΝΕΙΑC ΧΑΡΙΝ	memoriae cauſa
ΚΑΙ &c.	et &c.

Καμα-

(1) Menſes duos, *dies* XXIIII. excidit profecto dormitanti Quadratario vox *dies*, vel littera D.

Καμαραν, ut de via paululum deflectam, *Hypogaeum* hoc loco interpretor, Sepulchrum nimirum ſub terra deſoſſum, quod cum in fornicem curvatum eſſet, Καμάρα dictum eſt. Hoc eodem ſenſu utitur hujuſmodi voce Phlegon Hadriani Libertus apud Gronovium (*a*) Ανοιχθείσης δὲ ὑφ᾽ ἡμῶν τ Καμαρας εἰς ην παντες οἱ οικειοι μεταλλασοντες ετιθεντο: *Poſtquam aperuimus Cameram, in quam omnes iſtius familiae defuncti reponebantur*: neque aliter uſurpatur in compluribus Graecis Epitaphiis, quorum aliqua invenies inter marmora Oxonienſia (*b*). Cave tamen adſentiaris Anglico Interpreti haec adnotanti: Καμάρα *domus erat concamerata ſub terra condita, in qua erant σοροι, & ενσορια, in quibus cadavera, vel cadaverum cineres recondebantur*: Neque enim haec vox Καμαρα Hypogaeis in Fornicem curvatis tantummodo convenit, plura alia ſunt aedificia, quibus nomen hoc tribui ſolet, atque ut optime animadvertit Salmaſius (*c*): *Camerae appellatae culmina arcuata, & in Fornicem curvata, ſive ex lapide, ſive ex contignatione facta fuiſſent*: Sed illuc, unde digreſſi ſumus, revertamur.

(*a*) Gron. AA. GG. Tom. 8. p. 2694.

(*b*) Mar. Ox. n. 79. 81. app. 32. &c.

(*c*) Salmaſ. in Solin. p. 1219.

ΙΔΙΑΝ ΓΥΝΑΚΑ
ΙΔΙΑΣ ΓΑΜΕΤΗΣ
ΙΔΙΟΥ ΠΑΤΡΟΣ

Invenies apud Fabrettum (*d*)

ΙΔΙΩ ΤΕΚΝΩ
ΙΔΙΟΝ ΥΟΝ
ΙΔΙΩ ΘΡΕΠΤΩ

apud Gruterum (*e*)

ΙΔΙΩ ΘΕΩ
ΙΔΙΑC ΔΟΥΛΑΣ

apud Placentinium (*f*)

ΙΔΙΩ ΣΥΜΒΙΩ
ΙΔΙΑ ΣΥΜΒΙΑ

(*d*) Fabret. cap. 4. n. 447. p. 324. Cap. 10. num. 442. p. 733. n. 198. p. 698.

(*e*) Grut. pag. 667. n. 5. pag. 1127. n. 1. pag. 684. n. 1.

(*f*) Plac. l. c. p. 37. p. 79.

(a) Lupi l.c.p.141. Doni Cl. 20. n.8.

apud Lupum, & Donium (a)

ΙΔΙΟΙΣ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙΣ

(b) Marm.Ox.app. num.31.

inter Marmora Oxonienſia (b): plura fortaſſe addere poſſem, ſed nolo libros omnes pervolvere.

(c) Grut.pag.701. n.6.
(d) Fabret. cap.8. n.104. p.589.

At inquis, vox illa ἴδιος, cum *proprium* ſignificat, *ιωτα* prima ſede accipit, minime *ει*, ut in noſtro lapide conſcriptum eſt. Quem ſcrupulum, ut ex animo tibi evellam, inſpice eamdem vocem ſimili diphthongo conſcriptam, nec aliter explicandam in duabus hiſce Inſcriptionibus, quarum altera ex Grutero (c), altera ex Fabretto (d) deſumpta eſt. Ac prior quidem ſic habet.

	ΦΛωΡΙΟC ΟΝΗCΙ	Florius	Oneſi
	ΜΙΑΝΟC ΤΕΚΝω ЄΙ	mianus	Filio
	ΔΙω ΙΟΥΛΙΑΝω ЄΠΙ	Proprio	Iuliano
	ΟΙΗCΑ. ΜΝΗΜΗ	Fecit	Memoriae
	C. ЄΙΝЄΚЄΝ. ЄΥΨΥ-	cauſa.	Bono
(1)	ΧΙ ΤЄΚΝΟΝ ΟΥΔΙC. Α	animo	eſto Fili
	ΘΑΝΑΤΟC	Nemo	Immortalis

Altera vero eſt hujuſmodi

Ɒ ε	
ΜΗΝΟΦΙΛΟ	Menophilus
ΑΥΞΑΝΟΝΤΙ	Auxanonti
ΕΙΔΙω ΤΕΚΝω	Proprio Filio
ΜΗ ΠΛΕΡωCΑΤΙ	Haud implenti
ΔΟΙω ΕΤΗ ΜΝΗ	II annum memoriae
ΜΗC ΧΑΡΙΝ ΕΙΡΗΝΗ	cauſa. Pax

His

(a) Bon. Vitr. antiq. p. 168.

(1) ЄΥΨΥΧΙ. pro ЄΥΨΥΧЄΙ. Sic apud Bonarrotum (a).

ЄΥΨΥΧΙ CЄΚΟΥΝΔΑ ΟΥ
ΔΙC ΑΘΑΝΑΤΟC ΡΗΓΙΤΑΝΑ

His tertiam addo ex Gudio (*a*)

(*a*) Gud. pag. 369. num. 7.

	ΟΥΑΙCCΥΡΟC	Vaeſſurus
(1)	ΚΑΤЄΥΧΗCΑC ЄΝ-	. . . . apud
	ЄΙΜЄΡΙΤΗ ΠΟΛΙ	Emeritam
	ΤΗΣ	Urbem
	ЄΙCΠΑΝΙΑC	Hiſpaniae
	ЄΖΗCЄΝ	Vixit
	ΜΕΤΑ	cum
	ΕΙΔΙΑC	Propria
	ΓΥΝΑΙΚΟC	Uxore
	ЄΤΗ	annos
	ΚЄ	xxv
	ЄΤЄΛЄΥΤΗCЄΝ	obiit
	ЄΤΟΝ	annorum
	Ο	70.
(2)	ΠΡΙΔ	Pridie
	ЄΙΔωΝ	Idus
	CЄΠΤЄΜΒΡΙωΝ	Septembr.
	ЄΤΑΦΗ	Depoſitus
	ΕΙΔωΝ	Idibus
	CΕΠΤΕΜΒΡΙΟΝ	Septembr.
	Α ☧ ω	&c.

Neque vero credas contigiſſe id Epitaphiographi ignorantia. Veteri quippe more, factum eſſe dico, quo diphthongus ЄI, pro H, & I uſurpata eſt, idque adeo frequenter, ut hac de cauſa Salmaſius (*b*) more ſuo, auda-

(*b*) Salm. not. Inſcr. Herod. Att. l. c.

(1) Quid ſibi velit Κατευχησας hoc non aſſequor; Grammaticae enim leges, Κατευχησαμενος, vel Κατευχηθεις poſcere videntur. Mendum illic aliquod contineri ſuſpicor, quod laevi mutatione ſic corrigi poſſe vir doctus arbitratur Κατοιχησας, qui habitavit.

(2) Vid. Corſin. in Notis Graec. pag. 56.

audacter nimirum, ſciverit H & ЄI, ut Iῶτα pronunciaſſe: *quae ſcribendi conſuetudo ſatis fidem facit, veteres* H *&* ЄI *diphtongum, ut* Iῶτα *pronunciaſſe, contra ac opinentur hodie quidam ſemidocti*: Hominis in literatorum Republica nihil non ſibi arrogantis decretis aliorum erit intercedere, nolo enim rem multorum ſcriptis, & diſſidiis celebrem hîc attingere. Illud certum, & monumentorum teſtimonio firmatum, veteres Graecos ЄI, pro I uſurpaſſe. Sexcenta hujuſmodi exempla occurrent tibi in Lapidibus, Numis, & veterum Codicibus, quorum multa Salmaſius, Falconerius, Spanhemius (*a*), aliique collegere. Χρειϛος, Τειμω, Αντονειvος, Φαυϛειvα &c. illic invenies pro Χριϛος, Τιμω, Αντονιvος, Φαυϛιvα &c. Єιουλια pro Ιουλια habes in hac pulcherrima Inſcriptione a Boldetto vulgata.

(*a*) Salm. l. c. Falc. l. cit. p. 52. Spanh. de Uſu, & praeſt. Num. diſ. 11. §. 11.

ЄΙΟΥΛΙΑ ЄΝ ЄΙΡΗΝΗ ΜЄΤΑ ΤωΝ ΑΓΙωΝ

Archaiſmi hujus abuſum latinis noſtris, non modo Secundi, Tertii, & Quarti Saeculi Aerae Chriſtianae, ſed priſcis illis Catonibus, atque Cethegis placuiſſe cum alii, tum Lupus obſervavit (*b*). Sic *Niſei*, *Ubei*, *Ibei*, *Sibei*, *Eeis* leges in celebri illo Romani S. C. de Baccanalibus apud Fabrettum (*c*) *Meriteis*, *Ubei*, *fueit*, *heic*, pro *Meritis*, *ubi*, *fuit*, *hic* praeferunt duo haec Epigammata

(*b*) Lupi loc. cit. p. 127.

(*c*) Fabr. cap. 6. p. 427.

T. LVSCIO. T. L. PARNACENI
LVSCIAE. T. L. MONTANAE
T. ATTIVS, Ↄ. L. CORVMBVS. PATR
ONAE PRO MERITEIS DANT VBEI
EORVM OSSA QVIESCANT

a tergo

C. LAELI PHILOTAE

a ter-

VLTVMA (1)
SVORVM
CVPÍINNIA
L. F. TERTVLLA
FVEIT . QVIVS
HEIC
RELLIQVIAE
SVPREMA
MANENT

His

(1) Gens Cupieinnia, vel potius Cupiinnia pro I hic quoque uſurpato, ex Lapidibus nunc primum quod ſciam, emerſit; deſideratur enim in Grutero, Muratorio, Donio, Gorio &c. ULTUMA pro Ultima, ſic *Maxſumus Optumus Larubus &c.* pro *Maximus Optimus Laribus &c.* RELLIQUIAE SUPREMA. Ridebis hic opinor Epitaphiographi ταυτολογίαν: *Suprema* namque idem ac *Relliquiae*: utraque voce, quod reliquum eſt in corpore poſt obitum, veteres deſignaſſe novimus. Sic Ammianus Marcellinus (a). *Inter quae Conjugis Helenae defunctae Suprema miſerat Romam* (Julianus nimirum Imp.) *in Suburbano Viae Nomentanae condenda, ubi Vxor quoque Galli, quondam Soror ejus ſepulta eſt Conſtantina*. Alterutrum igitur delendum; niſi ſi verbum *manent*, *tranſitive*, ut aiunt Grammatici, pro *expectant*, ut apud Terentium (b). *Manſurus Patruum Pater eſt, dum huc adveniat*, accipi velis, & Cupiinniae reliquias expectare dicas, ſuſpiria, lacrymas, flores, Sacrificia, libamina, quae ſuprema officia amicorum, & cognatorum Sepulchris veteres ſtatis anni temporibus perſolviſſe non ignoramus. At quando Ammiani locum produxi, Libet hic exhibere Alexandri Leslaei de genuina illius loci lectione conjecturas. Quaeſieram a viro docto, reique antiquariae cum Sacrae, tum profanae ſcientiſſimo, quaenam foret Conſtantia illa, quae in Suburbano Templo S. Conſtantiae titulo inſignito ſepulta fuerat: Reſpondit vir humaniſſimus, meique amantiſſimus pr. Non. Jun. a. 1757. „ Mi dimandate qual ſia quella „ S. Conſtanzia, la quale fu ſeppellita vicino alla Chieſa di S. Agne- „ ſe. Al che riſpondo brevemente, che fu Flavia Giulia Conſtantina „ Auguſta moglie di Gallicano, e Figliola di Conſtantino Magno, la „ qua-

(a) Am. lib. xxi.

(b) Ter. Phor. a&. III. ſc. I. v. 16.

His tertium addo, ex Epicuri hortulis illud quidem, ſed quod auream ſapit aetatem.

PRI-

„ quale dal Padre ebbe il titolo di Auguſta. Morì ſenza prole, e fu „ ſepellita in quel vago Tempietto vicino ad una Chieſa magnifica, „ che eſſa avea fabricata ad onore di S. Agneſe. Le ruine di quella „ Baſilica ancor ſi vedono, e Grutero (a), ce ne ha conſervata l'I„ ſcrizione così:

(a) Grut. p. 1161. n. 9.

Conſtantina Deum venerans Chriſtoque dicata
Omnibus impenſis, devota mente paratis
Numine divino multum, Chriſtoque juvante
Sacravit Templum victricis Virginis agnes &c.

„ E' credibile, che ſia ſtata guarita da qualche malattia, per l'interceſ„ ſione di S. Agneſe, ma che queſta ſia ſtata la lepra non abbiamo „ fondamento da crederlo, e molto meno che Coſtantina abbia fatto „ voto di Virginità. Un altra Figliuola di Conſtantino detta Conſtan„ zia la quale fu moglie di Conſtanzio Gallo Ceſare morì in Bitinia, „ e non abbiamo motivo di ſoſpettare, che il ſuo corpo ſia ſtato por„ tato a Roma a ſeppellirſi; anzi è molto probabile, che foſſe ſep„ pellita a Conſtantinopoli. *Haec ille*; *quibus cum ego Ammianum*, „ *qui Conſtantinam Galli uxorem Romae in Suburbio via Nomentana* „ *conditam aperte teſtatur*, *objeciſſem datis iterum ad me litteris VII.* „ *Id. Jul. reſcripſit*. So bene che preſſo Ammiano ſi legge: *Inter quae* „ *Helenae conjugis defunctae ſuprema miſerat Romam in Suburbio via* „ *Nomentana condenda ubi uxor qaoque Galli, quondam Soror ejus ſe*„ *pulta eſt Conſtantina*. Ma avendo lo ſteſſo ſcritto in altro luogo, che „ Conſtantina moglie di Gallo, moriſſe nella Bitinia in un luogo det„ to *ad Coenos Gallicanos*, ed avendo il Cronicon Paſcale poſta ſot„ to il Conſolato di Merobaude, e Saturnino (a. 383.) la translazione „ del Corpo di Conſtanrina figliuola di Conſtantino Magno a Conſtan„ tinopoli l'ultimo giorno di Agoſto, e che fu ivi ſepellito il primo „ di Decembre ſeguente; non mi poſſo perſuadere, che il corpo del„ la moglie di Gallo ſia ſtato mai traſferito a Roma, onde ſtimo, che „ quel *Galli* vada letto *Gallicani*, ed il tutto *Gallicani quondam Conſu*„ *lis Soror ejus &c.* E' vero, che Valeſio ſtima, che foſſe la moglie „ ſteſſa di Gallo, che ancor fanciulla fabricò il Tempio di S. Agneſe, „ e non diſtingue queſta dalla ſua Sorella, ma la diſtingue bene Du „ Cange parlando delle famiglie Imperiali Bizantine &c. „

PRIMAE (1)
POMPEIAE
OSSVA . HEIC
FORTVNA SPONDET MVLTA
MVLTIS . PRAESTAT . NEMINI . VIVE IN DIES
ET HORAS . NAM PROPRIVM EST NIHIL
SALVIVS ET EROS DANT

extant omnia in Villa Pelucchi, ubi illa exſcripſi anno 1756. una cum U. C. Alexandro Leslaeo μακαρίτῃ.

Quibus ita animadverſis nihil eſſe vides quominus vox illa ἰδίῳ Latine *Proprio* reddatur, quod ſi fieri conceſſeris, concedas porro neceſſe eſt, jam non *Aegaeus*, ſed ἀνώνυμος, atque ex eorum numero erit tuus iſte Martyr: *Quorum ſolas habet comperta vocabula Chriſtus*, ut ait Prudentius (a). Dolendum ſane fortiſſimi, atque invi-

(a) Prud. περὶ στεφ. Hym. xi.

F

(1) OSSUA pro Oſſa habes etiam apud Gruterum (a), Fabretum, Donium, Gorium (b). PROPRIUM EST NIHIL *Proprium* hîc intellige *Perpetuum*, ut apud Terentium (c). *Nihil ne eſſe proprium cuiquam? Dii veſtram Fidem*! ubi *proprium*, pro *Perpetuum* ſumi notavit Donatus. Sic apud Horatium (d).

. . . . Tamquam
Sit proprium quidquam puncto quod mobilis horae
Nunc prece, nunc pretio, nunc vi, nunc ſorte ſuprema
Permutet Dominos, & cedat in altera jura
Sic quia perpetuus nulli datur uſus &c.

Adde Lucilium (e).

. . . . Quum
Sciam nihil eſſe in vita Proprium mortali datum.

Plura hac ſuper re obſervata invenies ab iis, qui Plauti Curculionem (f), & Moſtellariam, Virgilium (g), Traſybuli vitam a Cornelio Nep. deſcriptam notis illuſtrarunt.

(a) Grut. p. 785. n. 3. Fab. cap. v. n. 232. Doni. Cl. II. 181.
(b) Gor. Inſcr. Flor. T. I. p. 105. n. 76.
(c) Teren. Andr. act. iv. ſc. iii. v. 1.
(d) Hor. ep. 2. lib. ii.
(e) Lucil. Sat. lib. 27. v. 460.
(f) Plaut. Curculion. act. 1. ſc. 1. Moſtell. act. 1. ſc. 3.
(g) Virgil. Aen. I. v. 77.

invictiſſimi adoleſcentis (1) nomen Sororem ipſam nobis invidiſſe, quae tamen ſuum non diſſimulavit. Oblitamne dicam, an neglexiſſe. Quidquid id ſit, dolendum ſane.

(a) Lupi loc. cit. p. 105.

(b) Bold. loc. cit. lib. II. p. 409. 419. 428. p. 477.

Neque tamen exiſtimes velim hoc primùm noſtro in Lapide contigiſſe: *nihil eſt*, inquit Lupus (*a*), *rudi atque inepta hac taciturnitate frequentius in Epitaphiis Saeculi tertii, & quarti*. Exemplis a Lupo adlatis haec adde, Chriſtiana omnia a Boldetto deſumpta (*b*).

1. MARCELLINVS MARITVS TITVLVM
POSVIT CONIVGI SVAE

2. ANIMA DVLCIS IN
COMPARABILI FILIO QVIXIT
ANNIS XVII. NON MERITVS
(2) VITA REDDIT. IN PACE DOMINI

3. AVRELIVS KILIO SVO BENEME
RENTI IN PACE BIXIT ANIS XXI
(3) DVIKLEND. PRAS

4. RVFINA CONIVGI. B. MERENTI. IN PACE

(c) l. c.

Hic Sepulti nomen diſſimulatum vides; ſequentes Sepelientis nomen, quod in Chriſtianis Lapidibus piae ac religioſae humilitatis cauſa factum, putavit Lupus (*c*) diſſimulatum oſtendent.

DIS-


(1) Duodevigeſimum aetatis annum Martyrem hunc vix attigiſſe harum rerum periti ſacris exuviis perſpectis judicarunt.

(a) Lup. Epith. Sev. M. p. 171. n. 4.

(2) Ante diem vitam reddidit, interpretatur Lupus (*a*), cui aſſentior.


(3) Fortaſſe legendum D. VI. KALEND. APRIL.

DIS. MANIS PARENTIS *ſic*
BENE FECERVNT FILIO
(1) DIGNO STERCORIO OVI *ſic*
VIXIT ANVM ET MESES. V.



(2) GENIALIS. QVI. AN. XXVI.
ME. VII. DI. XVIII. DECES
SIT. KAL. SEP. ORA. NONA
FRATRIS DVLCISSIMO FECERV





Utramque ex meis Schedis habes, priorem excripſi in Vinea Comitis Pelucchi; alteram in Palatio Principis Praeneſtini.

F 2 §. III.

(1) Lutulentam hanc inſcriptionem Chriſtianam eſſe arbitror, atque illi addendam, quam ex Kirkeriano Muſaeo protulit Lupus (*a*) ubi *Dis Manibus* integris verbis deſcriptum legitur, *crudae adhuc quorumdam in cordibus Chriſtianae Religionis veſtigium*. Stercorii nomen frequens in Chriſtianis Lapidibus, de quo videndus Fabrettus (*b*).

(2) Addes hanc Gruterianae Inſcriptioni (*c*) in qua *Caecilius Syrus III. Kal. Julias Hora X.* mortuus dicitur; & Fabrettianae (*d*), quae Amantium puerum HOR. NOCT. X. mortuum refert. Ut hic mortis, ſic diei Natalis hora ſignatur in Lapide Chriſtiano Simplicii pueri Divi Joviani Auguſti, & Varroniani Conſulatu [a. 364.] inſigni.

(*a*) Lupus p. 105.
(*b*) Fabr. c. viii. p. 582.
(*c*) Grut. p. 685. n. v.
(*d*) Fab. c. viii. n. 167. p. 582.

§. III.

MNHMHN.

MNήμης nomine in Sepulcralibus Lapidibus, tum Sepulchrum, tum defuncti elogium, quod inſcriptionem dicimus, intelligi poſſe, nemo neſcit. Quominus ad Sepulcrum vocem hanc referam in noſtro hoc Lapide, ipſius Tumuli tenuitas, ac paupertas facit. Scis enim in Chriſtianorum Caemeteriis plerumque nihil aliud eſſe Martyrum Sepulcra, quam *excavatam in Coemeterii parietibus feneſtram parvam*, ut ait Lupus (*a*) *ad unum alterumve cadaver excipiendum; quod dein loculamentum tabulae aliquae, ſeu Marmoreae, ſeu fictiles ferreis retinaculis annexae, & gypſo aut coemento obſtructae claudebant, ne cadaverum in corruptionem abeuntium odor ullus e rimis penetraret in coemeteriales vias. Conditoria haec exigua locos appellare antonomaſticè ſolebant antiqui*. Placet igitur Μνημην inſcriptionem hic intelligere, quae a Graecis ἐπιγραφὴ etiam, ἐπιτάφιον, ἐπιγράμμα, aliiſque nominibus apud Gutherum (*b*) enumeratis appellata eſt.

(*a*) Lupi loc. c. p. 2. not. 3.

(*b*) Guth. de Jure Man. lib. 2. c. 26.

Neque apud Graecos ſolum Sepulcralis inſcriptio Μνημη dicitur; eadem quippe ſignificatione *Memoria* a Latinis nominata eſt. Quin ſi Servio habenda fides ſit, qui κατ' ἀκρίβιαν loquuntur, non aliter Funebre Elogium, quam *Memoriam*, vel *Monumentum* appellant. Servii locus eſt apud Kirchmannum (*c*) *Locus uſtrina dici ſolet: operis conſumatio Sepulcrum, inſcriptum nomen, Memoria, & Monumentum*: Ammonius etiam apud recentiorem Thucydidis Scholiaſten (*d*) Μνῆμα inter & Μνημεῖον diſcrimen eſſe aliquod ſcripſit, *nam* Μνῆμα, inquit, *eſt* Τάφος, Μνημεῖον eſt μνημόσυνον &c. At Grammaticales hoſce Canones tum Latini, tum Graeci contempſiſſe videntur. Animadverti enim Sepulcrum nullo diſcrimine a Graecis Μνῆμα, & Μνημεῖον, a Latinis *Memoriam*, & *Monumentum dici*. Singulorum unum, aut alterum exemplum

(*c*) Kirch. de Fun. Rom. lib. 3. c. 19.

(*d*) Thucid. lib. 1. §. 138.

plum proferam, nt nihil ſine gravi aliquo authore affirmari a me perſpicias. Μνῆμα Πιστῶν Michaeae ſepulcrum appellatum teſtis eſt Sozomenus *(a)*, eadem voce Μνῆμα Chriſti ſepulcrum deſignatur apud Lucam *(b)*. Μνῆμα ſibi & Uxori condidiſſe Agathemerum quemdam leges in Oxonienſi Marmore *(c)* Μνημεῖον Themiſtoclis & Braſidae Sepulchrum dixit Thucydides *(d)*. Μνημεῖον Mathaeus & Marcus Chriſti Domini Sepulchrum vocaverunt; neque aliud quam Sepulchrum intelliges in hoc Graeco Lapide a Maffeio deſcriptum *(e)*.

(a) Sozom. Hiſt. Eccl. l. 7. c. 29.
(b) S. Luc. c. 23. v. 53.
(c) Mar. Oxon. n. 4. p. 77.
(d) Thuc. Hiſt. 1. ſ. 138. v. ſ. 11.
(e) Muſ. Veter. p. 144. n. 1.

ΠΟ ΠΕΤΡΩΝΙΟΣ ΣΕ
ΚΟΥΝΔΟΣ ΤΟΜΝΗΜΕΙ
ΟΝ ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΓΥΝΑΚΙ
ΚΑΙ ΤΕΚΝΟΙΣ ΠΟ ΠΕΤΡΩ
ΝΙΟΣ ΑΧΑΙΚΟΣ ΤΕΙΜΗ
ΘΕΙΣ ΨΗΦΙΣΜΑΣΙΝ ΚΑΙ
ΣΤΕΦΑΝΩΘΕΙΣ ΧΡΙΣΕ
Ω ΣΤΕΦΑΝΩ ΥΠΟΓΕΡΟΥ
ΣΙΑΣ ΝΕΩΝ ΜΙΜΝΕΡΜΕΙΟΥ
ΠΑΙΔΕΥΤΩΝ ΣΥΝΟΔΟΥ
ΑΧΑΙΚΕ ΧΑΙΡΕ

Elogium hoc ſic ego interpretor:

P. Petronius ſecundus
Monumentum ſibi, & Uxori
Et Filiis (poſuit) P. Petronius
Achaicus Honoratus
Decretis, & Coronatus
Aurea Corona a Senatu
Novorum Magiſtrorum
Synodi Mimnermiae
Achaice Salve.

At

At quid hoc ſibi vult Μιμνερμεῖον. An Epicureus ille Mimnermus, quem tanti fecit Horatius (a) Synodum inſtituit, quae de ejus nomine *Mimnermia* dicta ſit? An alius Ὁμώνυμος nobiſque ignotus? Quid certi ſtatuam, plane non habeo. At ſi divinare aliquantulum permittis, illud μιμνερμειον *Manentis-Mercurii* interpretor, ex μίμνω nimirum *Maneo*, & ἑρμείας, *Mercurius*, uſurpato apud poetas pro ἑρμῆς vocabulo.

(a) Hor. l. 1. Ep. 6. Lib. 2. Ep. 11.

> Ἦ ῥα καὶ Ἑρμείαν φίλον υἱὸν, ἀντίον ηὔδα
> Ερμεια &c.

> *Dixit ſane, & Mercurium dilectum filium alloquebatur Mercuri &c.*

Leges apud Homerum (b) Σύνοδον Δημήτρος habes apud Gruterum (c) *Apollinis Synodum*, ex hoc Gruteriano Lapide (d).

(b) Hom. O. E.
(c) Grut. p. cccix. n. 1.
(d) Ib. p. cccxxx. 3.

M. AVR. AVG. LIB.
AGILIO SEPTEMTRIO
NI . PANTOMIMO . SVI
TEMPORIS . PRIMO . SACERDO
TI . SYNHODI . APOLLINIS . PA
RASITO . ALVMNO . FAVSTINAE
AVG. &c.

proferunt Scaliger in Indice, & Corſinus (e) at vox *Synodi* Apollinem neutiquam reſpicit, ut recte vidit Salmaſius (f) & Spanhemius, (g) legendumque *Sacerdoti Synodi*, ſcilicet Scaenicorum, *Apollinis Paraſito* uti ex aliis duabus apud Gruterum inſcriptionibus perſpicuum eſt. (h) Συνόδον Διονυσου apud Corſinum invenies (i) qui & ignotam nobis hactenus Σύνοδον τον Διὸς τȣ ξενίȣ ex Athenienſi marmore produxit. Quidni & Mercurii Synodus? Neque vero diſplicet additum Mercurio *Manentis* cognomen, cum & *Fortunam Manentem* videam in numis Commodi

(e) Corſin. Inſcr. attic. p. 43.
ΕΥ+ΥΧΙΝ. Forte pro ΕΥΨΥΧЄΙΝ *bono animo eſſe*, vel pro ΕΥΤΥΧЄΙΝ, *bene, feliciter eſſe*. Ευψιχα τεκνον *bono animo eſto Fili*, ex Fabretto ſupra protuli (*a*). ΑCΤΟΜΑΧΗΤΟΣ. Quid de hac voce ſtatuam incertus ſum. An *ſine Stomacho*, nempe *ſine bile*? videant κριτικοτεροι. *Sine Bile* habes in quibuſdam latinorum elogiis, apud Lupum (*b*).

(*a*) Pag. 36.

(*b*) Lup. Epit. Sev. M. pag. 144.

IV. INVICTO . D. NAVAR. ZE
TERENTIVS PRISCVS
P. F
EYCHETA CVRANTE
ET SACRATIS
D D C B

In Villa Albana.

Legi-

(1) Diis Infernalibus
Fl. Kalemerae religioſae
Quae vixit annis 22. inculpate
Cum viro ſuo, vixit . . . . .
Maritus Serapas aeternae
Memoriae cauſa, &
Patronus T. Flav. Pergamus
Meritae (αξιῃ) Pudicitiae cauſa.

Legitimam inſcriptionem hanc eſſe affirmare non auſim; ut ut ſit legerem: *Invicto Deo Navarcorum Ze. .... Terentius Priſcus. P. F. Eucheta Curante & Sacratis.* D D C B.

Siglas P. F. *Ponere fecit* non ſatis quidem eleganter, ad inſcriptionis tamen contextum accomodate interpretor. *Navarchos* hic pro *Navicularios* accipio, quo nomine eoſdem deſignant Arcadius, & Theodoſius Junior Auguſti, in Codice Theodoſiano (*a*). ZЄ. Cum loci nomen ſuis in elogiis *Navicularii* apponere conſueverint, lego enim apud Gruterum (*b*) *Navicularios Maris Arelatenſis, Navicularios Maris Narbonenſis*, illud ZЄ. *Zephirienſes* interpretari quis poſſet, ex *Zephiria* ſcilicet Locrorum promontorio, vel ex Zephyre Inſula, quorum nomine Neptuno, neque enim aliud eſſe reor, qui κατ᾽ ἐξοχὴν Naviculariorum Deus nominatur, votiva haec baſis poſita fuerit, Terentii Priſci juſſu, cura Euchetae, & eorum qui initiati fuerant *Cereri*, & *Baccho*, ſic namque ſiglas illas C B. interpretor. Cereri enim & Baccho Eleuſiniae & Lernae Veteres initiabantur, arcanis Sacris, *quibus*, inquit Iſocrates, *initiati qui ſunt, hi & de vitae exitu, & de univerſo aevo ſpem habent meliorem*: Vetus Lapis apud Wandalium: *Fabiae Aconiae Paulinae Sacratae apud Eleuſiniam Deo Baccho, Cereri & Corae: Sacratae apud Lernam Deo Libero, & Cereri & Corae.* At quid illa D D? An forte *Deabus*, Aeginetis nimirum? apud Aeginam initia Deabus peracta notum eſt. Eadem Paulina, *Sacrata apud Aeginam Deabus* dicitur eodem in Lapide, quem citabam. Quae autem fuerint iſtae Deae diſputant Eruditi. Cererem, & Coram, ſeu Proſerpinam nonnulli arbitrantur, Wandalius Damiam & Auxeſiam eſſe putat (*c*), quorum oleagina Simulacra Epidauriis erepta, magna apud ſe veneratione Aeginetae ſervabant: plura de iis Herodotus (*d*). An D D C B, *Diis domeſticis Cereri, & Baccho*, explicabimus, ut nempe iidem eſſent, *Domeſtici Dii*, atque uti Baudelotius (*e*) interpretatur, *Lares* eorum, qui Baſis hujus conſtituendae curam ſuſceperant, *Ceres*, & *Bacchus*,

(*a*) Cod. Theodoſ. l. 13. Tit. v n. 20. 22.

(*b*) Grut. p. 449. 6. 413. 4. 426. 4.

(*c*) VVandal. diſſ. 1. c. 7. p. 89.

(*d*) Herod. lib. v.

(*e*) Baudel. Util. de Voiag. T. 1.

ebus; quorum Myſteriis initiati fuerant. Magna etiam numina inter *Domeſtica*, recenſita teſtantur lapides. *Jovi Optimo Maximo DOMESTICO Brato Votum libens merito ſolvit*, apud eumdem Baudelotium (*a*). *Silvano Domeſtico* lapis alter ibidem inſcribitur. An *Deae Dindimenae* uti apud Donium (*b*), & apud Muratorium (*c*)? An tandem DeDiCaBit pro DEDICAVIT? Sed non his ſatis acquieſco, ab aliis edoceri cupio.

(*a*) Ib.p.214.215.

(*b*) Doni claſ. 1. n. 60.

(*c*) Mur.p.31. n.3.

V. IOVI CVSTODI
SACRVM
M. AEMILIVS
FLACCVS Q. (1)

VI. LICINIA	LICINIA	OCTAVA
QVINTA	PVRPVRIs	SATVRNIN

(2)

IOVI. OPTIMO. MAXIMO
PVRPVRIONI

In Vil. Alb.

IOVI. PVRPVRIONI. Veterum numina a privatis aras, & Statuas dedicantibus cognomen ſortita fuiſſe notum vulgatumque eſt. Hinc apud Fabrettum (*d*). *Ceres Orciliana*, *Diana Rheſiana*, *Fortuna Flavia*, *Hercules Paternianus*, *Juno Rubria*, *Pluto Nervianus*. A Licinia Purpuride, *Purpurio* hic *Jupiter* dicitur.

(*d*) Fab.de Colum. Traj.c.VIII.p.247.

VII. NEPTVNO
ADIVTORI
SACRVM
M. AEMILIVS
FLACCVS Q.

TI.

(1) Q. Quaeſtor;
(2) Mulieres tres ſtantes.

VIII. TI. CLAVDIVS
OLYMPVS
VDIO . SVCCIPIO (1)
IX. HOSIIA . QVAM
IPSI . FECIT
SILVANO
D D.

IX. SEI . DEVS
SEIA . DEA

(a) P. LXXIX. 5.


(b) Sen. Ep. 110.

Lapis Tibure inventus quem cum minime viderim de eo nihil certe affirmare auſim. Secunda linea legerem *Seiae Dea* : *Fortunae Seiae* habes apud Gruterum (*a*): Gens *Seia* nota cum in Hiſtoria, tum in Lapidibus. Si quid conjectura aſſequi poſſum, lapidi hae litterae inſcriptae cui vel ſculpta, vel impoſita duplex ſive Statua, ſive Imago Deorum Sei, & Sejae Tutelarium, namque ita illud *Sei Deus*, & *Seiae Dea* interpretor; vel ſivis Hermaeum aliquod ex duplici capite virili, & muliebre, *Genium*, Sei, & Sejae *Junonem* referens, Junonem inquam, qui enim Genius dicebatur in hominibus, *Juno* in feminis nominata eſt. *Sepone in praeſentia quae quibuſdam placent*; inquit Seneca (*b*), *unicuique noſtrum paedagogum dari Deum*, *non quidem ordinarium*, *ſed hunc inferioris notae*, *ex eorum numero*, *quos Ovidius ait de plebe Deos*. *Ita tamen hoc ſeponas volo ut memineris majores noſtros*, *qui crediderunt hoc Stoicos fuiſſe*, *ſingulis enim*, *&* *Genium*, *&* *Junonem dederunt*. Haec porro Juno, non ea, quae Jovis, & Soror, & Conjux, ut recte animadvertit U. C. Joannes Bapt.

(1) Dedit atque ita legit P. Contuccius Contucci S. J. = *Ti. Claudius Olympus Voto ſuſcepto ex Hoſtia quam ipſe Fecit Silvano. D D.*

Bapt. Paſſerius (*a*), qui de hiſce Geniis & Junonibus, plura erudite docteque diſputat. (*a*) Paſſerit.diſs.Acher, cap. 14.

X.



Teſſera Gladiatoria e Capponiano in Kircherianum Muſeum translata, inſignis L. Arruntii Nepotis Conſulatu, Collega M. Aemilio Lepido, ita enim nomen alterius Conſulis deletum, reſtituendum eſt, cum ex Faſtis ad an. U. C. Varronianum 759. tum ex hac alia Teſſera apud Fabrettum (*b*): *Fauſtus Antoni Sp. K. APR.* M. LEP. L. ARR. COS. Aemilio huic *Manii* praenomen tribuit Noriſius (*c*), at littera illa M. nihil habet noſtra in Teſſera, ex quo *Manii* praenomen eruere poſſimus. SP. *Spectavit*, interpretatur Pignorius (*d*), ex alia apud eumdem teſſera, in qua legitur;

(*b*) Fabr. Inſ. c.1. n.189. p.38.

(*c*) Noris Cenot. diſ.11. c.vi. p.147.

(*d*) Pignor. de Servis c.156.

ΓILOMVSVS . ΓERELI
SΓECTAVIT .

hinc patet inquit notas illas SP. vel SPECT. quae doctos viros huc uſque torſerunt, nihil aliud ſignificare quam SPECTAVIT, ut detur intelligi, conductos fuiſſe aliquos veluti ab editore gladiatores inſignes rude olim donatos ſpectandi gratia, non pugnandi, & ſane in his Teſſeris vix aliud ſimbolum videas (ego ſane non aliud vidi) quam fuſcinarum & palmarum, quae ad ludum gladiatorium pertinent. Pignorio alios etiam aſſentiri video, quorum ego hic ſententiam impugnare nolim, libentius tamen ſiglas illas SPECTATVS, interpretarer, adderemque Horatianum illud

Spectatum ſatis, & donatum jam rude quaeris
Maecenas iterum antiquo me includere ludo.

XI. GENIO
TI. CAESARIS
DIVI. AVGVSTI
FILI
AVGVSTI

C. FVLVIVS. CHRYSES. MAG.
PAGI. AMENTINI. MINOR.
DONVM DEDIT
V. K. IVN.
L. CALPVRNIO. PISONE.
M. CRASSO. FRVGI. COS.

Vil. Alban.

Anno U. C. 780. Vulgaris aerae 27. quo Conſules fuere L. Calpurnius *Piſo*, & M. Licinius Craſſus Frugi dedicatus eſt Lapis iſte. Principum Genio Sacrificia facta, & munera oblata novimus; *Magiſtri Pagorum* noti ex aliis Lapidibus.

PAGI. AMENTINI. MINOR. *Pagus* iſte *Amentinus*, imo Pagi iſti *Amentini*, nam duos fuiſſe adjecta illa vox *Minoris*, ſatis docet, Pagi inquam iſti nunc primum, quod ſciam emergunt, at qui ſint, ubi fuerint, ignorare me fateor; ſed nec illud ſcire potui, quo loco lapis iſte erutus fuerit. Pagos circa urbem fuiſſe plurimos ſcimus, non modo Numae aetate, qui Dionyſio teſte (a) agrum Romanum *diviſit*, *in eos qui Pagi vocantur*, *&* *ſingulis Pagis*, *ſingulos Praefectos dedit*, *qui eſſent portionis ſibi commiſſae inſpectores &* *circuitores*; ſed poſterioribus etiam temporibus, & Auguſtis Rem Romanam adminiſtrantibus. Id eorum rudera, a viris doctis ſuperioribus aetatibus detecta, aperte.

(a) Dioniſ. AA. RR. II. n. 76.

te oſtendunt, ex quibus eorum aliquot magnitudine ſua ac populi frequentia, elegantia, & magnitudine aedificiorum urbibus haud impares fuiſſe teſtatur Leslaeus noſter harum rerum peritiſſimus (*a*); quorumdam nomen, & ſitum apud Fabrettum invenies (*b*). Horum ego in numero *Amentinos* Pagos fuiſſe facile mihi perſuadeo.

(*a*) Lesle.Miſ.Moz. p.608.

(*b*) Fabr. de Aquaeduct. diſ. III. n. 310

Quod ſi obſcuriſſima in re conjecturis indulgere fas ſit, Amentinum Pagum, *Amentinae Tribui* nomen dediſſe ſuſpicor, uti *Lemoniae*, *Cluſtuminae*, *Maeciae*, *Scaptiae*, *Vejentinae* dedere Pagus Lemonius, Vejorumque Urbes, Cluſtumina, Maecia, Scaptia. *Amentinam* porro Tribum, hujus lapidis beneficio, ex Joſepho eruere me facile poſſe confido. Legeram olim apud Hebraicum Scriptorem (*c*): *Fannio M. F. Praetore*, Senatum a. d. 8. *id. convocante*, adfuiſſe *L. Manlium L. Filium MENTINA*, *&* C. *Sempronium C. F. Falerna &c.* Παρόντος Λευκίου Μανλίου Λευκίου υἱοῦ MENTINA, καὶ Γαΐου &c. Corruptum Joſephi locum Pighii authoritate (*d*) monebat Havercampius (*e*), & *Mentinam* Tribum nulli unquam cognitam, pro *Menenia* pueris ipſis notam intruſam: non temere uti tunc videbatur; facile enim fuit, vel Joſepho, vel illius librario, nomen Tribus prioribus tantum litteris MEN deſignatum permutare. Aſt ubi in lapidem incidi, & Amentinus Pagus occurrit, ſuſpicari tum nihil in Joſephi contextu corruptum, nihil immutandum: ſubiit multa ſaepe, errori data, quae novis detectis monumentis, conſulto poſita deprehendimus. Id cum in aliis rebus, tum in his praecipue contingere, quae ad rerum antiquarum ſcientiam pertinent. Subiit Tribus plurimas Romanis Scriptoribus ignotas Lapidum beneficio detectas, ut ſi horum teſtimonio, quae doctos inter agitatur, de Tribuum numero controverſia dijudicanda ſit, non quinque & triginta, ut communior opinio fert, ſed tres ſupra quinquaginta Romanae Tribus futurae ſint, niſi cum Fabretto (*f*) dicas pleraſque XXXV. Romanarum Tribuum binomines fuiſſe, & modo a nomine loci, modo

(*c*) Joſeph. AA. Jud. XIII. col. XIII. n. IX.

(*d*) Pigh. Annal. lib. XIII. p. 39.

(*e*) Haver. not. in h. l.

(*f*) Fabr. c. V. inſc. pag. 396.

modo ab aliqua familia nomen obtinuiſſe, uti *Voltinia* tribus, *Campana* etiam dicta eſt antiquo in lapide apud Gruterum (*a*). Non temere igitur ſuſpicor *Mentinam* Tribum apud Joſephum hoc noſtro lapide firmari poſſe: neque enim moveor, quod Pagus *Amentinus*, Tribus vero *Mentina* nuncupetur, niſi enim *Amentinā* me authore legere velis in Joſepho, dicam prioribus Reip. temporibus Pagum hunc *Mentinum* nominatum fuiſſe, qui deinde Tiberii aetate per Protheſim, *Amentinus* dictus eſt, cujus rei exempla plurima extant apud Scriptores.

(a) Grut. p. 564. 4.

XII. L. SCRIBONIVS . LIBO
COS
VI. VIRVM EPVLONVM

Prope Marinum.

Scribonios Libones Conſules duos tantum invenio, primum L. Scribonium Libonem, cujus ſororem *duobus antea Conſularibus nuptam, ex altero etiam matrem*, inquit Svetonius (*b*) *duxit Auguſtus*. Hic anno U. C. 720. ante Aeram Vulg. 34. Conſul fuit, cum L. Sempronio Atratino, M. Antonio abdicanti ſuffecto. Alterum L. item Scribonium Libonem ſuperioris Nepotem, a. U. C. 769. Vulg. Aerae 16. Conſulatum adeptum, cui Kalendis Juliis Pomponius Graecinus ſuffectus eſt. Utri lapis hic tribuendus ſit nec ſcio, nec tanti eſt, ut quaeram.

(b) Svet. Aug. c. 62.

XIII. Q. AR. PAET. T. VEN. APRON. COS
. . . . . Q. AMAR. OPDO . . . . . .

Similem habes apud Fabrettum (*c*), nec mirum, eodem enim nomine lateres plurimi inſcribebantur. Apronianus, & Paetinus anno U. C. 876. Vulg. Aerae 125. Conſules fuerunt.

Hoc latere Aproniani Conſulis praenomen emendandum,

(c) Fabr. cap. VII. n. 133. p. 509.

dum, monet Fabrettus (*a*): *Utriuſque* (Conſulis) *integrum nomen Panvinius, in antiquae Figlinae ſigno, apud Gruterum pag.* 1082. *n.* 16., *ſe reperiſſe profeſſus eſt: ſed ipſius, & ſequacium pace emendandum eſt praenomen ſecundi Conſulis, & pro Cajo, Titus ex hoc latere reponendus*. Vereor ut ſatis firma ſint, quae ex hujuſmodi monumentis deſumuntur argumenta, ad Conſulares faſtos emendandos, lego enim apud Muratorium (*b*) Figlinam aliam ſignatam (a) Fabr.l.c.p.508. (b) Mur.pag.1996. n.3.

L. VENVLEIO. APRON. Q. ARTIC. PAETO. COS
EX FIGLANNI VERI SALAR. PPR

Qui Conſules, ni alii ſint ab *Aproniano*, & *Paetino* hujus anni, nova iterum & copioſior immutatio facienda erit. At alii ſi ſint, ignotus erit annus quo Conſules proceſſere. *L. Venulejum Apronianum Fratrum Arvalium Magiſtrum* ex Muratoriano lapide ſupra (*c*) nominavi, quem ad an. Vulg. Aerae an. 81. pertinere oſtendit Conſulatus, L. Flavii Silvae Nonii Baſſi, & Aſinii Pollionis Verrucoſi. (c) Pag.67.

XIV. AP. ET. PAE COS TRAV . . . . .
EX FOCCES . . . . .

Apud me.

Lege *Aproniano & Paetino Conſulibus Titi Ravii* . . . . . *Figlina Oceana Caeſaris Noſtri*. Titus Ravius Felix Figulus occurrit, apud Fabrettum (*d*). Figlina Oceana duplex fuit altera major, altera minor, utraque Caeſareae domus, uti ex lateribus Fabrettianis (*e*) diſcimus, ex quorum poſtremo quem hic profero (d) Fabr.cap.vii. n.246.272.p.517.518. (e) Ib. n.68.69.272.273.

OP. DOL. EX PR. AVGG. NN. FIG. OCE
AN. MINOR. T. RAVIO FELICE

illud etiam diſcimus *T. Ravium Felicem Minoris* Figulum fuiſſe. *CESaris* nomen ſine diphtongo, ne quem hoc

hoc fortaſſe in explicatione noſtra perturbet, aliae exhibent veterum inſcriptiones, cujuſmodi ſunt Gruterianae duae (*a*).

(*a*) Grut.pag.158. n.8.p.283. n.3.

XV.	D. M		DECESSIT
	VLPIAE		IIII. IDVS
	AVG. LIB. ACTE		◎
	CONIVGI	e latere	
	OPTIMAE		DECEMBRES
	CALLISTVS AVG		ORFI ....
	DISPESATOR		PRIS ....
			COSS

In Collegio Clementino.

Ulpii Trajani Imperatoris Libertam hic habes, cui ante libertatem adeptam ACTE nomen. DISPESATOR. pro DISPENSATOR. in aliis veterum elogiis occurrit; *Aſtus Diſpeſator* apud Fabrettum (*b*): *Donatus Aug. Diſpeſator* apud eundem.

(*b*) Fab. cap. IV. n. 239. p. 293. n. 248. c. 295.

ORF. . . . . .

PRIS. Lego *Orſito*, & *Priſco*, quod Conſulum Collegium pertinet ad annum U. C. 902. Vulg. Aerae 149. quo Conſules fuere *Ser. Scipio Orfitus*, & *Quintus Nonius Priſcus*. Hunc *Soſium Priſcum* nominat Fabrettianus lapis (*c*): ex quo Sponius apud eundem *Soſiae* genti adſcribendum eſſe contendit; at cum alii lapides *Qu. Nonium Priſcum* aperte proferant, non diſplicet Fabretti conjectura *Priſcum* hunc *Nonium*, & *Soſium* appellatum; praeſertim cum inſolens nequaquam ſit in Noniis duplex gentilitium nomen. *Nonium Arrium*, *Nonium Caecilium* lapides alii nobis exhibent.

(*c*) Id. c. VI. n. XXIII p. 473.

Quae fuerit Orfiti hujus gens diſputant viri docti: *Corneliae* tribuunt Panvinius, Pagius, aliique. Gaviae adſcribi poſſe putant nonnulli, ſiquidem *M. Gavium Orſitum* Conſulem cum L. Arrio Pudente anno U.C. 918. Vulg. Aerae 165. prodit Gruteriana inſcriptio (*d*). *Vettiae* Noriſius (*e*) adſcriberet, non repugno; at quod idem

(*d*) Grut. p. 1032. n. 6.
(*e*) Noriſ. ep. Conſul. p. 90.

idem velit, Orfito praemonen. eſſe *Sergio*, non patienter ferent Fabrettus, Urſinus, iique omnes, qui *Sergii praenomen confidenter rejiciunt*, inquit Fabrettus, cum *Sergia gens Patricia* fuerit, vel unius Virgilii teſtimonio

Sergeſtuſque Domus tenet a quo Sergia nomen.

Trajani Libertae Libertum addo ex altera inſcriptione nuper detecta, & quam dum haec ſcribo ab humaniſſimo eruditiſſimoque Dño Olignano Can.Regul. Congr. SS.Salvatoris accepi:

D. M.
M. VLPIO . AVG. LIB.
AGILI. FECIT. IVLIA
FILLIS. CONIVGI
BENEMERENTI CVM QVEM
VIXIT . ANNIS
XX.

De barbara hac formula *cum quem* vide Fabrettum *(a)* & Lupum.

(a) Fabr. cap. IV. n.XXX. Lupus Epit. S.Sev. pag. 30. 168. &c.

XVI. D. M.
L. ACCI. TERTVLLI S. . . . .
STATORIS. AVG . . . ATTI
VIXIT. ANN. X . . . . M. VIIII
MIL. AN. IX . . . . . . ITEM
L. ACCI. TERTVLLI
ACCIA. LVCR . . . MATER. FIL. PIEN
FECIT. L. MVNATIVS
. . . . . . LARVS. STATOR. AVG.
HER. FIDVC. F. C.

In Villa Pilucchia.

STATOR. *Statorum* non unum genus, militares alii, quibus praefuiſſe *Evocatos*, nonnulli putant, ſiquidem in

in militari lapide apud Fabrettum (*a*) *Evocati Statorum* occurrunt; at minus id probatur; ſuſpicor Evocatos hoſce eos eſſe, qui militia inter Statores jam functi, iterum militabant. Militarium Statorum erat Praetorii Poſticium tueri, atque Imperatori proximos eſſe, uti ex Higino docet Salmaſius (*b*). *Statorum Centurias*, exhibet Fabrettianus lapis, quem citavimus. *Statores* alii Magiſtratibus praeſto erant, eorumque veluti apparitores, & accenſi fuerunt, quos Alexander ut Provinciis graves ſubſtulit, eorum meminit Cicero (*c*). Alii Coloniarum & Municipiorum, *Lucilius Stator Civitatis Viennenſis* occurrit apud Bimardium (*d*). Privatis etiam ſuos fuiſſe Statores ex Petronii Satyrico (*e*) contendunt nonnulli, at vereor, ut id ex eo loco effici poſſit; neque tamen negare auſim *Statores* fuiſſe, qui heris ſuis adeſſent, & famularentur. Statores Auguſti ad eos revocandos cenſeo, quos Magiſtratibus praeſto fuiſſe dixi. HER. FIDVC. FC. *Heres Fiduciarius faciundum curavit*. Fiduciarius heres, qui ſit, nemo ignorat, hujus mentio alio in lapide apud Gruterum (*f*).

(*a*) Fabr. cap. III. n. 68. p. 131.

(*b*) Salmaſ. H. A. T. I. pag. 461.

(*c*) Cic. ep. 17. lib. 11. &c.

(*d*) Bimard, Antiq. Culaton. c. IV.

(*e*) Petron. Satyr. c. 126.

(*f*) Grut. p. 553. n. 2.

XVII. Q. CASSIVS . P. F. GAL
VALENS . PISIS
MIL. IN . COH. IIII. PR.
ANN. XVIII. EVOCATVS ANN. II
VIX. ANN. XXXX. HIC. SITVS EST
MONVMENTVS. HIC. EST. (*ſic*

In Villa del Cinque.

EVOCATVS. *Evocati*, qui & *Revocati* in veteri lapide apud Fabrettum (*g*) milites, qui expletis ſtipendiis, & miſſione accepta ad militiam, rogatione magis quam imperio iterum vocabantur: *Ipſe*, Octavianus ſcilicet, qui deinde Auguſtus, *in Campaniam uſque progreſſus, magnam manum ex Capua praeſertim contraxit, quod hi a Patre ipſius, quem ulciſci ſe ferebat, eam urbem*

(*g*) Fab. c. VII. de Col. Traj. p. 198.

bem agroſque accepiſſent; *iis multa pollicitus*, *dedit ſingulis duo millia numûm*. *Et his a viris orta tunc Evocatorum*, *aut Vocatorum appellata legio*, *quos* ἀνακλήτους *Graece quis dixerit*, *quod impetrata miſſione militiae*, *rurſus ad eam vocati fuerint*, *in uſu eſſe coepit*. Haec Dio (*a*), qui iterum de his diſſerens (*b*): *His*, Evocatis, *Auguſtus uti coeperat*, *ex quo Veteranos Patris ad arma adverſus Antonium rurſus evocarat*, *eoſdemque deinceps retinuit*, *ac ſunt etiam peculiare corpus*, *&* ῥαβδοὺς (vitem nimirum) *geſtant inſtar Centurionum*. Aſſentior Veteranos Julii Caeſaris, qui Octaviano expetente militiae iterum nomen dedere, *Evocatos* fuiſſe; at tum primum Evocatos in uſu eſſe coepiſſe Graeco ſcriptori neutiquam concedo. Auguſto enim antiquiores Evocatos hoſce fuiſſe, manifeſtum eſt, eoſque ſaepius commemorat Caeſar (*c*): *Haec erant millia* XLV. (militum Pompejanorum), *Evocatorum circiter duo*, *quae ex Beneficiariis ſuperiorum exercituum ad eum convenerant*, *quae tota acie diſperſerat*. Si rem ipſam porro conſideres *Evocati* fuere octingenti illi milites, quos in Aequos duxit Siccius apud Dionyſium (*d*), & quinque illa millia Voluntariorum ex Romanis ſociiſque, qui emerita ſtipendia, ſub Imperatore P. Africano habebant; qui L. Cornelio Conſuli in Antiochum proficiſcenti praeſto fuere, ut narrat Livius (*e*).

(*a*) Dio. lib. 45. pag: 276.
(*b*) Idem lib. 55. pag. 565.
(*c*) Cæſar. B.C. I. 17. III. 88. &c.
(*d*) Dionyſ. AA. RR. lib. x. n. 45.
(*e*) Tit. Liv. lib. XXXVII. n. 4.

Ab his diverſi *Evocati Auguſti*, quorum mentio in noſtra inſcriptione XIX., a Galba inſtituti: *Delegit*, inquit Svetonius (*f*), *& Equeſtris ordinis Juvenes*, *qui manente anulorum uſu* (aureorum ſcilicet, nam ferreos gerebant, inferioris ordinis homines, aureis in exercitu ſolis Tribunis uti licebat,) *Evocati appellarentur*, *excubiaſque circa cubiculum ſuum vice militum*, *agerent*. De Evocatis plura ii dabunt, qui Romanam militiam ſcriptis illuſtrarunt; plura etiam Fabrettus, & Salmaſius &c.

(*f*) Sveton. in Vit. Galbæ n. 10.

XVIII. Q. CLODIVS . C. F.
AN. SECVNDVS
VERCELLIS . MIL
COH. IIII. PR. MILIT
AN. XV. VIX. AN. XXXV.

Ibidem.

XIX. DIIS MANIBVS
L. NAEVI . L. F. CAM. PAVLLINI
EVOC. AVG.
MILITAVIT. IN. COH. Γ. PR. EQVES
OPTIO EQVITVM
CORNICVLAR. TRIBVNI
MILITAVIT. IN. CALIGA. ANN. XVI
EVOCATVS. FVIT. ANN. III
L. PESSEDIVS. AGILIS. EVOC. AVG
ſic
AMICO OPITIMO FECIT

(a) Varro L.L. iv. p. m. 24.

(b) Grut. pag. 46. 10., 80., 40., 431. 9., &c.

Optio qui fuerit, explicat Varro (*a*): *Primi ſingularum decuriarum Decuriones dicti, quos hi primo adminiſtros ſibi ipſi adoptabant Optiones vocari coepti, quos nunc propter ambitionem Tribuni faciunt*: quæ poſtrema ſic interpretor, ut cum antea ipſi ſibi Decuriones *Optionem* deligerent, deinde Tribuni eos aſſignaverint. Tribunos, Centuriones, Signiferos, alioſque *Optionem* habuiſſe ſuum cum Scriptorum, tum Lapidum teſtimonio diſcimus, quorum exempla dabit Gruterus (*b*). *Optio Equitum* ex hac noſtra aliiſque apud Fabrettum innoteſcit.

GALIGA. Pedum integumentum, & militaris calceamen-

ceamenti Genus, quo Romani milites, Gregarii praeſertim, & manipulares in bello, & caſtris potiſſimum utebantur. Ex *Caliga*, *Caligata militia* apud Tertullianum (*a*), & *Caligati milites* in Lapidibus. *Numerus Militum Caligatorum* in veteri lapide apud Lindenbrogium (*b*). Caligatos milites infimum militiae genus fuiſſe, pluribus Nigronius (*c*) oſtendit; atque illud Senecae afferri ſolet (*d*) *ingratus. C. Marius, de Caliga ad Conſulatum perductus*; ab infimo ſcilicet gradu, ad ſummum honoris apicem. Ex *Caliga* C. Caeſarem Germanici filium nomen ſortitum vulgata res eſt, *Caligulae cognomen caſtrenſi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur*, inquit Svetonius (*e*).

(*a*) Tert. de Idol.

(*b*) Lindenbr. in Amm. Marc. p.20.

(*c*) Nigr.diatr.de Calig. n.2.

(*d*) Senec. de Benef. lib. v. c.6.

(*e*) Svet. v. Cal. n. 9.

XX. D. M.
SEX . NOVEL
LIO . PROCVLO
MIL. COH. VII
PR 7. TEMON IVS
TI . SPEC . FECIT
NOVELLIVS ER
TIVS COMMA
NIPVLARI . FRA
T. B. M.

In Villa Piluc.

SPEC. *Speculator*; Speculatores, quos Graeci διοπτῆρας, σκοπους, κατασκοπους &c. vocant, in utraque militia, terreſtri, & navali fuiſſe notum eſt. *Cohortis Speculatorum* meminit numus Antonii Triumviri, apud Mediobarbum (*f*), *Speculatorem leg.* 11. *adjutricis* habes apud Muratorium (*g*). Navalem Speculatorem memorat Livius (*h*): *Annibali jam terrae appropinquanti juſſus è nautis aſcendere in malum, ut Specularetur, quam tenerent regionem quum dixiſſet Sepulcrum dirutum proram ſpectare &c.* de utriſque plura apud Rei militaris Scriptores.

(*f*) Mediob.p.20.

(*g*) Mur. p. 778. num 2.

(*h*)T.Liv.lib.xxx. n.25.

 COM-

COMMANIPULARI. *Commanipularis*, idem ac Contubernalis, ſiquidem lego apud Vegetium (a) *Contubernium autem Manipulus vocabatur, ab eo quod conjunctis manibus dimicarent*: Contubernium in Militia ex decem militibus conſtituebatur, *rurſus ipſae Centuriae*, inquit idem Vegetius, *in contubernia diviſae ſunt, ut decem militibus ſub uno Papilione degentibus unus quaſi praeeſſet Decanus, qui caput Contubernii dicebatur*.

(a) Veget. lib. II. c. 13.

XXI. C. OCTAVIVS. CF. GRAECINVS
TR. MIL

XXII. M. OREIVS. M. F
PAP. SECVNDVS
BELLVNO. MIL. COH
VI. PR. 7 DEXTRI
MIL. ANN XI
VIX. ANN XXVII
H. F. C. (1)

In Villa Nariorum

Romana florente Republica militaris aetas ab anno XVII. ad XLVI. Juniores, nonniſi cogente neceſſitate delecti. Id cum temere fieret C. Sempronius Gracchus a U. C. 630. lege lata, ne minor an. XVII. ad militiam cogeretur, prohibuit. Attamen infirmata ſæpius lex iſta eſt, everſa præſertim Republica, uti frequenti lapidum teſtimonio diſcimus, quibus hunc etiam addes, ex quo Oreium annis XVII. minorem militaſſe vides.

XXIII.

(1) Heres Faciendum Curavit.

XXIII. L. SATRIVS L. F. POL
CLEMENS
LEPIDO . REGIO
MILES . COH. VI. PR
MILITAVIT ANNOS V
VIXIT . ANNOS XXV
H. S. E

In Villa Del Cinque.

XXIIII. L. SATRIVS . L. F. POL
TIRO
LEPIDO . REGIO
MILES . COH. VI PR
MILITAVIT . ANNOS X
VIXIT . ANNOS XXX
H. S. E

Ibid.

XXV. M. TADIVS . M. F
LEM. TERTIVS
DOMO BONONIAE
EVOCATVS . VIX. ANN. L
H. S. E
M. TADIVS . M. L. ALBANVS
VIXIT . ANN. XXV
. . . .

Ibid.

XXVI.

XXVI.

DIS. MANIBVS
C. TREBII . C.F. ROM
IVNIANI
PRAEF. FABR. PRAEF COH. HIPAN
TRIB. MIL. LEG. III. CYRENAICAE
TREBIA. TERTVLLA. VXOR. FECIT

XXVII.

SEX. VALERIVS
C. F. VOL
FIRMINVS
VIENNAE
MILES. COH. IIII. PR
€ GALLI
MILITAVIT. ANN. XVIII
VIXIT. ANN. XXXXI

In Villa Peluch.

XXVIII.

D. M.
T. VIBIO MVNATIA.....
TRIBVLI. TRIBV. OVFEN....
ALBENSI. EQ. COH. III. PR....
LIBERTIS. LIBERTABVSQV
FIERI IVS.....

XXIX.

XXIX. SEX. VARIO. MARCELLO

PROC ❦ AQVAR C̄ ❦ PROC PROV ❦ BRT ❦ C̄C̄. PROC ❦ RATIONIS
PRIVAT ❦ C̄C̄C̄ ❦ VICE PRAEF. ❦ PR ❦ ET. VRBI. ❦ FVNCTO
C ❦ V ❦ PRÆF ❦ ÆRARI MILITARIS. LEG ❦ LEG ❦ III ❦ AVG
PRÆSIDI PROVINC ❦ NVMIDIÆ
IVLIA. SOEMIAS BASSIANA ❦ C ❦ F ❦ CVM FILIIS
MARITO ET PATRI AMANTISSIMO

XXX. ϹΕΞΤω ❦ ΟΥΑΡΙω ❦ ΜΑΡΚΕΛΛω

ſic
ΕΠΙΤΡΟΠΕΥϹΑΝΤΙ ΥΛΑΤωΝ ❦ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥϹΑΝΤ ΕΠΑΡΧΕΙΟΥ
BRITANNΕΙΑϹ ❦ ΕΠΙΤΡΟΠΕΥϹΑΝΤ ΛΟΓωΝ ΠΡΕΙΒΑΤΗϹ ❦ ΠΙϹΤΕΥ
ΘΕΝΤ ΤΑΜΕΡΗ ΤωΝΕΠΑΡΧωΝ ΤΟΥ ΠΡΑΙΤωΡΙΟΥ ΚΑΙ ΡωΜΗϹ
ſic
ΛΑμΠΡΟΤΑΤω ΑΝΛΡΙ ΕΠΑΡΧω ΕΡΑΡΙΟΥ ϹΤΡΑΤΙωΤΙΚΟΥ ❦
ΗΓΕΜΟΝΙ ΛΕΓΕΙωΝΟϹ ❦ Γ ❦ ΑΥΓΟΥϹΤΗϹ ΑΡΞΑΝΤΙ ΕΠΑΡΧΕΙΟΥ
ſic
ΝΟΥΜΙΛΙΑϹ. ΙΟΥΛΙΑ ϹΟΑΙΜΙΑϹ ΒΑϹϹΙΑΝΗ ϹΥΝ ΤΟΙϹ ΤΕΚΝΟΙϹ Τω
ſic
ΠΡΟϹ ΦΙΛΕϹΤΑΤω ΑΝΛΡΙ ΚΑΙ ΓΛΥΚΥΤΑΤω ΠΑΤΡΙ ❦

Duo hæc epigrammata unius urnae marmoreae Velitris hoc anno effoſſae frontem ornant ; utrum alterius interpretatio ſit ſtatuere nequeo, quando utrum priori loco poſitum ſit, reſcire non potui.

M. Aurelium Antoninum cognomento Heliogabalum Soaemiae filium Vario Marcello patre natum, unico Dionis teſtimonio noveramus : *Maeſa Juliae Auguſtae*

Soror,

(a) Dio. lib. 78. c. 30.

Soror, inquit Dio (*a*) *filias duas Soaemidem & Mamaeam ex Julio marito ſuo viro Conſulari habuit, & Nepotes item mares duos, alterum e Soaemide Varioque Marcello, municipe ſuo, ex Apamea enim, & ille erat* (1) *Caeſariſque procuratore, & in Senatum adlecto, ac dein mortuo, Avitum nomine: alterum è Mamaea Geſſioque Marciano Syro, & ipſo, ex Urbe Arcae & quibuſdam procurationibus pridem functo, nomine Baſſianum*: Haec Dio, ex quibus vanas futileſque Lampridii, Capitolini, aliorumque de *Varii* nomine Heliogabalo dato conjecturas, jampridem ſuſpicabamur; at non amplius ſuſpicari licet, cum rem certo teneamus. Hujus enim praeclariſſimae Urnae auctoritate *Varium* Marcellum Soaemiae maritum fuiſſe aperte cognoſcimus, atque hinc Heliogabalum qui antequam Imperium adipiſceretur *Avitus*, ex Avo, & *Baſſianus* (2), ex proavo materno dictus eſt, *Varii* nomen a Patre *Vario Marcello* ſortitum fuiſſe. Hoc ſatis profecto epigrammata iſta commendat, & quanti, Auguſtorum hiſtoriae cultoribus facienda ſint, oſtendit; ſed & plura alia ex iiſdem diſcimus, quorum apud hiſtoricos mentio nulla eſt. Ac primo Vario Marcello praenomen *Sexto* fuiſſe 2.° Soaemiam quae a Lampridio *Semiamira* ab Eutropio *Simiaſira* a Dione *Σοαιμια*, ab Herodiano *Σοαιμις* appellatur, Soemiam inquam, *Juliam Baſſianam* nuncupatam fuiſſe. Hoc illi nomen, ex avo Materno, alterum quod in numis etiam praefert, ex Julio avito ipſius parente ſortita eſt, quae ut facilius perſpiciantur Soemiae, & Heliogabali Stemma hic exhibebimus.


BASSIA-

---

(1) Nonnulla ſunt apud veteres Scriptores quæ Heliogabalum Emiſenum fuiſſe perſuadere poſſunt. Hinc Apameam, pro Emeſa in Dionis contextum irrepſiſſe ſuſpicatur Tillemontius, quem vide (*a*).

(2) Apud Herodianum (*b*).

(a) Till. Emp. T. iv. pag. 470.
(b) Herod. lib. v. n. 5.



3. Soemiam non unius Heliogabali matrem ex Vario fuiſſe, ſed & alios ex eodem liberos ſuſcepiſſe, ſiquidem huic una *cum Filiis* urnam hanc Baſſiana dedicavit. Quî porro, & quot fuerint Heliogabali vel ſorores, vel Fratres prorſus ignoro; eos tenera adhuc aetate defunctos, antequam Heliogabalus aviae artibus imperium adipiſceretur, non temere ſuſpicor.

Poſtremo tandem, Sex. Marcellum, non Procuratorem Caeſaris, & Senatorem tantummodo fuiſſe diſcimus, ſed aliis minimeque contemnendis in Imperio muneribus functum. Legimus enim hoc in lapide, *aquarum Procuratorem* fuiſſe illum, *Procuratorem Britanniae*, *Procuratorem Rationis Privatae*, *Vice Praefectum Praetorio*, & *Ur-*

Urbi, *legatum legionis III. Auguſtae*, *Aerarii Militaris Praefectum*, *Praeſidem Provinciae Numidiae*. Hae Varii dignitates, & munia, quae intacta praeteribo, cum enim ex aliis inſcriptionibus nota ſint, omnia jam virorum doctorum commentariis illuſtrata ſunt. Illud ſuſpicari fortaſſe quis poſſet Varium hunc noſtrum, primum, vel inter primos ſaltem fuiſſe, eorum, qui Rationis Privatae curandae munus obierint. Siquidem narrat Spartianus (*a*), Procurationem hanc a Severo primum inſtitutam, poſt Albini Caeſaris necem anno Vulgaris aerae 167. interfecti. Erraſſe tamen Spartianum contendit Salmaſius, (*b*) qui Auguſti temporibus rem & nomen ipſum cognitum fuiſſe non dubitat, cum a Strabone (*c*) munus hoc ἴδιος λογος privata ratio appelletur. At non deſunt viri docti, qui Spartianum tueantur; horum in numero Hadrienſis Epiſcopus (*d*) qui rem ita componi poſſe arbitratur, ut cum unus antea foret, qui Principis Patrimonium procuraret, tum *Fiſcale*, quod dignitatis ratione principi accedebat, atque divelli a Principatu non poterat, tum *Privatum*, quod Princeps tamquam privatus poſſidebat, atque ad haeredes, etiamſi Imperio non ſuccederent, tranſibat, Severus *Fiſcalis* cura veteri Procuratori relicta, *Privatum* & proprium in immenſum auctum novo a ſe inſtituto Procuratori demandaverit. Haec ex ipſo narrationis contextu eruit vir doctus; ſic namque Spartianus: *Interfectis innumeris Albini partium viris inter quos multi principes civitatis... omnium bona publicata ſunt, aerariumque auxerunt... Filiis etiam ſuis ex hac proſcriptione tantum reliquit, quantum nullus Imperatorum, cum magnam partem auri per Gallias, per Hiſpanias, per Italiam Imperator jam feciſſet: tuncque primum privatarum rerum procuratio conſtituta eſt*: *Jam intelligis* inquit Hadrienſis antiſtes, *Severum bona alia reſque proſcriptorum publicaſſe*, *& Fiſco addidiſſe*; *alia vero additis iis*, *quae jam fecerat*, *in patrimonium ſuum privatum*, *& propriam ſubſtantiam retulit*, *quod patet ex quo ea filiis ſuis reliquit*. *Nova ergo haec procuratio reſpicit haec propriae ſubſtantiae bona adjecta*, *& relicta*

(*a*) Spartian. in Sever. n. 12. H.A. T. 1. p. 609.

(*b*) Salmaſ. in not. ad Sev. l. c.

(*c*) Strabo lib. XVII. p. 797.

(*d*) De la Torre Mon. Antiat. C. v. p. 73. &c.

ſta filiis, ſtatim enim ſubjicit = Tuncque primum privatarum rerum procuratio conſtituta eſt. Haec ille: ego nihil ſtatuo, neque enim paucis tractari iſta poſſunt, pluribus harum adnotationum ratio non patitur. Quo anno objerit Marcellus incertum, extremis fortaſſe Severiani Imperii annis, Heliogabalus ſiquidem anno Vulg. aere 204. natus fertur, vel Caracalla Imperante; Velitris objiſſe illum ex hac ſepulcrali urna ibidem reperta, non temere ſuſpicari poſſumus.

ΠΡΙΒΑΤΗΣ. ЄΡΑΡΙΟΥ. Latinae voces Graecis litteris & Graeca inflexione expreſſis, quod Juniores Graecos facere conſueviſſe harum rerum periti norunt.

ΗΓЄΜΟΝΙ ΛЄΓЄΙΩΝΟϹ: Πρεσβευτῃ dicendum fuerat, vox enim Ηγεμονος non recte legionis legatum exprimit. Πρεσβευτη Λεγιωνος Λ Ουλπιας leges apud Gruterum (*a*).

(*a*) Grut. pag. 495. num. 2.

At non leve hic negotium exhibent, Siglae illae C̄, C̄C̄, C̄C̄C̄, in latino epigrammate, quid enim de iis ſtatuam non video, praeſertim cum Graeco in elogio nihil ſit, quod ad illas referri queat. Obſcura in re nihil dici commodius poſse arbitror, quam ſiglis illis ſtipendium deſignari, quod in unaquaque procuratione Marcellus percipiebat. Procuratores Principis ab Auguſto inſtitutos a ſtipendio nomen ſortitos teſtis eſt Dio (*b*), *Sane Procuratoribus iſtis ipſum nomen officii ſui a numero pecuniae, quam* ejus nomine *acciperent, inditum eſt*. Hujuſmodi Procuratores *Sexagenarios*, *Centenarios*, *Ducenarios &c.* quod ſeſtertia Sexagena, Centena, Ducena ſtipendii nomine obtinerent; qui & Procuratores ad HSS. Sexagena ad HSS. Centena, & Ducena nuncupati ſunt, uti ex veteri lapide obſervavit Salmaſius (*c*); nec aliter eodem Salmaſio interprete explicandus Capitolinus cum ait (*d*) Pertinacem ad *Ducenûm Seſtertiûm ſtipendium translatum in Daciam*; his nihil aliud innuitur, quam Pertinacem Procuratorem Ducenarium Daciae creatum. *Procuratorem Ducenarium* memorant, Svetonius, & Appuleius (*e*). Novi ſane Turnebo, aliiſque doctis viris Procuratorem Ducena-

(*b*) Dio l. 53. p. 506.

(*c*) Salmaſ. in not. ad Pertin. n. 2.
(*d*) Capit. in Vit. Pertin. n. 2.

(*e*) Svet. V. Claud. c. 24. Apul l. VII.

cenarium dici, qui *Ducenteſimae*, Vectigal exigeret; at recte animadvertit Salmaſius, qui *Ducenteſimae* Vectigal exigebant, non bene *Ducenarios* nuncupari, ſed *Ducenteſimarios* potius appellandos: *Ducenarius*, *ſecundum vi verbi*, *non alius eſſe poteſt*, *quam qui Ducena exigit*, *vel colligit*; *at Ducenteſimae quota pars ſit ducentorum nemo ignorat*. Neque vero opponant Conſtantini legem (*a*), quae Centenarios, Ducenarios, Sexagenarios, aliquem ex debitoribus convenire vetat, prius quam a Tabulario Civitatis breves acceperint debitorum; jubetque exactionem hujuſmodi ſine omni fieri concuſſione: Lex enim illa Ducenarios nomina exigiſſe oſtendit ſane; at eoſdem ab ea exactione nomen ſortitos nequaquam docet. His ita animadverſis lego in noſtro Lapide *Sexto Vario Marcello Procuratori Aquarum Centenario*; *Procuratori Britanniae Ducenario*, *Procuratori Rationis Privatae Trecenario*. Haec ſi placeant, cum alia hactenus ignota, tum Procuratorem Trecenarium ex hoc lapide habebimus: Procuratorem inquam, nam miles *trecenarius*, a Vegetio, qui Centenarios, & Ducenarios commemorat, praetermiſſus, ex aliis lapidibus jam innotuerat; *A. Numiſienum Gallum Trecenarium* habes apud Fabrettum (*b*) *C. Caeſtium Trecenarium* apud Gruterum (*c*), *C. Arrium Trecenarium* apud Muratorium (*d*), quod trecenis ſcilicet, militibus praeeſſet, uti Centenis Centenarii, Ducenis Ducenarii. Alia nominis ratio *Ducenariorum Judicum*, quos Auguſtus inſtituit (*e*) hi a cenſu, Graevio Judice, nomen nacti ſunt, quod nimirum *lecti ex hominibus inferioris cenſi ducena HSS. tantum poſſiderent, non ut caeteri quadringena* (*f*).

C. F. Siglas haſce *Clariſſima Femina* interpretor; Si Caj *Filia*, mavis, habebis Julii Aviti Soemiae Parentis praenomen.

(*a*) L. 1. c. de exactione Tributor.

(*b*) Fabr. cap. IX. n. 293.

(*c*) Grut. p. 387. n. 8.

(*d*) Murat. p. 1073. 4.

(*e*) Svet. v. Aug. n. 31.

(*f*) Graevius in Svet. l. c.

P. TVR-

XXXI.

P. TVRPILIVS
A. L. PHRONIMVS
REDEMPTOR. AB. ÆRARIO
IN FRONT. PED. XVIII
IN. AGRO. PED. XX

XXXII.

Θ
Q. TVRPILIVS. A. L
NIGER. RED. AB. AER
TVRPILIA. A. L. HASINIS
IN FRONT. PED. XVIII.
IN. AGR. PED. XX

Aulj Turpilii Libertos non eodem praenomiue inſignitos valde miror, ut enim animadverti *(a)* Romanis Libertis Domini, a quo manumiſsi fuerant, praenomen nomenque adſciſcere ſolemne fuit.

(a) Pag. 33.

REDEMPTOR AB AERARIO. Redemptores ab Aerario hi primum lapides, quod ſciam, proferunt. *Redemptores*, inquit Feſtus, *propriae atque antiqua conſuetudine dicebantur, qui cum publice faciendum, aut praebendum conduxerant, tum demum pecunias accipiebant, nam antiquitus emere pro accipere ponebatur, at ii nunc dicuntur Redemptores, qui quid conduxere praebendum utendumque*; nempe qui pretio accepto aliquid faciendum ſuſcipiunt. *Redemptorem ab aerario* eum eſſe arbitror, qui certâ pecuniâ ea, quae aerario debebantur, exigenda emerat, ut ex ea exactione quaeſtum faceret.

Θ. Nigra illa, & mortifera littera, qua in breviculo militum defuncti notabantur, & capite damnati deſignabantur in judiciis, quod ex ea nimirum vox *θανατος* latine *mors* exordiatur. Eadem uſurpatur plus vice ſimplici in lapidibus eoſque fato functos denotat, quorum nominibus praefixa eſt.

Con-

Contra littera V. in iiſdem ſepulcralibus elogiis titulum eo vivo poſitum fuiſſe indicat, cui adjecta eſt. Miratur Rheineſius Romanos e diverſis linguis deſumptas litteras eodem in lapide adhibuiſſe, hinc ſuſpicatur, non male fortaſſe, littera illa V. non latinum elementum, a quo vox *Vivus* exorditur, ſed Graecum Υψιλον eſſe a quadratariis non recte efformatum, quo vox Υγιης *ſanus*, *incolumis* initium ſumit. Υ hoc Marci Aurelii Staſimi nomini ſuperpoſitum habes in Kircheriano epitaphio apud Lupum (*a*), quod pro V. poſitum Vir doctus ſuſpicatur, *ut denotaretur*, inquit, *lapis poſitus vivente M. Aurelio id enim ſaepe littera V. in ſaxis ſignificari evicit Fabrettus*. Illo elemento lapidem Staſimo vivo erectum ſignificari nullus dubito, at illud ſuam, non vicariam, illic operam agere arbitror, atque Υγιης, quod Rheineſius optabat, interpretor.

(a) Lupus p.113.

XXXIII. IANVARIO SALVTEM
. MEMORIAE IN QVO MIHI. PROBE ET LABORIOSE . . . T. EX. DIS . .
. ET INDVLGENTIAE MEAE PRAEROGATIVAM TANTO MAGIS CV . .
. ISTERIO SIT MIHI CONCILIATVM IDEOQVE IVSTVM ARBITRATVS SVM..
.CETERIS PROXIMIS QVI IN ALIIS STATIONIBVS QVADRAGENA MILLIA N
. cVIQVAM MIRA VIDERI POTEST CVM IVDICIVM MEVM FIDEI. LABORI. SED . .
. BVI A ME INTELLIGATVR. BENEVALE

XXXIV.
. IO. LIB. ◁ SALVTEM
.IARI. MINISTERIO OFFICII MEMORIAE ES ET FIDES. AC MODESTIA. QV
. AGISTRI. TVI HORTANTVR VT TE AD SPLENDIDAM VOLVPTATVM STATIOnem. .
.COLLIBERTI TVI NEC DVBITO OPERAM INSVMptVRVM VT TALEM TE..
. aD LATVS PRINCIPVM TAMDIV EGERIT. BENEVALE

Lapis unus hoc anno in Aventino repertus, at pluribus in locis fractus, gravique rei antiquariae damno utra-

utraque parte mutilus, duo haec epigrammata complectitur, peculiari ſane comentario digna; ſed nec tanti ſumus, nec per otium licet, pauca breviter, & curſim perſtringemus. Duo Principis reſcripta, ſeu diplomata eſſe arbitror, ac priori quidem Januarium in officio Memoriae munere egregie functum ſuo quadragenis numûm millibus remuneratur Princeps. Altero Libertus quidam eodem in officio apprime probatus, ad aliud transfertur. Primum ut dixi *Januario* inſcribitur, uti ex litterarum veſtigiis manifeſtum eſt; Januarii Plures, in veterum lapidibus, atque in Auguſtea Hiſtoria. *Fl. Magnum Januarium* ſubſcripſiſſe video huic Senatus conſulto apud Mabillonium (*a*) poſt annum ni fallor U.C. 1088. Vulg. aerae 335. vel eo ipſo anno.

(a) Mabil. To. IV. analec. p. 494.

CEIONIVM RVFIVM. ALBINVM. V. C. COS. PHILOSOPHVM. RVFI VOLVSIANI. BIS. ORDINARII. COS. FILIVM SENATVS EX CONSVLTO SVO QVOD EIVS. LIBERIS. POST CAESARIANA TEMPORA. IDEST POST ANNOS CCCLXXX. ET I. AVCTORITATEM. DECREVIT. FL. MAGNVS IANVARIVS. V. C. CVR. STATVARVM.

Hunc eſſe Januarium noſtrum impudens ſim ſi certo ſtatuam, ſuſpicari tamen poſſe, nemo negabit.

MEMORIAE. Officium Memoriae, hìc intelligo, OFFICII MEMORIAE habes in ſecundo reſcripto; hujus non infrequens in lapidibus mentio, frequentiſſima vero in Notitia, in Codice, apud Ammianum Marcellinum, alioſque illius temporis ſcriptores. Quatuor in Palatio Principis *Sacra Scrinia*, in quibus acta Principum, quae ad illius jura pertinerent, ſervabantur, fuiſſe norunt viri docti, quae & *Scrinia Principis* & *Scrinia Sacri Laterculi* dicebantur, nimirum, *Memoriae*, *Epiſtolarum*, *Libellorum*, *Diſpoſitionum*. Qui in iis Principes, *Magiſtri* nuncupati, ſi ultimum excipias, in quo *Magiſtrum* nullum fuiſſe, ſunt qui velint, ſed Scrinii Principem *Comitem Diſpoſitionum* appellatum; quidquid ſit, neque enim hìc hac de re contendere placet, omnium

nium primus *Magiſter Memoriae*, de eo plura Guthe-rus (*a*), aliique diſſerunt.

(*a*) Guth. de Off. D: Aug. lib. III. c. 3.

PROXIMIS. Qui ſecundum Sacris in Scriniis locum obtinebat, *Proximus* dicebatur, quod Magiſtro proxime accederet, potioremque ab eo dignitatem obtineret. Is ubi Magiſter, aut valetudine, aut alia de cauſa officio fungi non poſſet ſuo, vices illius agebat. BASSVS. AVG. LIB. PROXimus AB EPISTOLIS GRAECIS. PROC. TRACTVS CARTHAGINENSIS, in Veteri lapide apud Gruterum (*b*). Scriniorum *Proximos* eoſdem eſſe, ac Magiſtros, & duplici nomine munus idem, contendit Salmaſius (*c*); *Primi quippe ac Principes in ſingulis ſcriniis dicebantur Proximi . . . cum primi fuerint non dubium quin & Magiſtri quoque dicti ſint*; at non omnibus perſuaſit, Valeſio inprimis, qui (*d*) *Proximos*, & *Magiſtros* diſtinctos fuiſſe, non male, ut ego arbitror, oſtendit, tum quod diverſi ſint in Codice tituli, de Magiſtris, Scriniorum, & de Proximis, & in lege *un. C. Th. qui a praebitione Tyronum*, Proximi Scriniorum, a Scriniorum Magiſtris longo intervallo ſeparentur: Tum quod Proximi Vicariis exequentur, ut eſt *in tit. de Proximis*; at Magiſtri Vicariis praeferuntur, ut eſt *in l. un. de Mag. Scrin.* tum denique quod Proximatus ordine Militiae acquireretur; ut docet lex 7. & 17. *Cod. Th.* Magiſterium vero Princeps conferret.

(*b*) Grut. p. 586. n. 9.

(*c*) Salmaſ. in H.A. Tom. 1. pag. 933. n. in Alex. c. 31.

(*d*) Valeſius not in Amm. Marc. lib. xx. p. 253.

STATIONIBVS. *Officiis* vel Scriniis interpretor, nam & hoc ſenſu, vox iſta uſurpata non ſemel eſt. QVADRAGENA MILLIA NVMVM. An hoc Proximorum annuum ſtipendium ſit, an extraordinaria Principis liberalitas, definire non auſim, prius tamen magis placet.

AD SPLENDIDAM VOLVPTATVM STATIONEM. De Tribunatu Voluptatum, ad quem libertus iſte ex officio Memoriae transfertur agi hic reor. Tribunatus hujus mentio occurrit ſaepius in Codice: *Fl. Maximus U. C. Tribunus Voluptatum* occurrit in Doniano Lapide (*e*): *Maximinum Tribunum Voluptatum*, exhiberi hoc Chriſtiano Lapide,

(*e*) Doni cl. xx. n. 63

HIC

HIC
. . . . MAXIMINVS V. C. TR. B.
. . . QVIESCIT IN PACE
. . IE. XV. KL. IVNIAS.

putat Gorius (*a*), qui litteras illas TR. B. Tribunus Boluptatum interpretatur, at licet, B pro V frequens in lapidibus ſit, vereor tamen ut omnibus id perſuadeat. Tribuni Voluptatis id muneris datum, ut ſcenicos ludos, qui ſaepe *Voluptates* nominantur curaret, & moderaretur; hinc Scenici, & Hiſtriones in illius erant poteſtate, ut aperte diſcimus *ex Formula Tribuni Voluptatum* apud Caſſiodorum (*b*): *Quamvis artes ludricae honeſtis moribus ſint remotae, & hiſtrionum vita vaga videatur efferri poſſe licentiâ, tamen moderatrix providit antiquitas, ut in totum non effluerent, cum & ipſae judicem ſuſtinerent . . . teneat Scenicos, ſi non verus, umbratilis ordo Judicii . . . . . locus quippe tuus his gregibus hominum veluti quidam tutor eſt poſitus*: Novum officium a Voluptatibus praepoſito equite Rom. T. Caeſonio Priſco Tiberium Imperatorem inſtituiſſe, narrat Svetonius (*c*), an idem hoc ſit, ac Tribunatus Voluptatum diſputari video: affirmantibus libentius accederem, ſi judicium meum interponere opus foret.

(*a*) Gorius Inſcr. Flor. T. III. p. 334.

(*b*) Caſſiod. Var. lib. VII. n. 10.

(*c*) Svet. V. Tib. c. 42.

XXXV. QAIACI CENSORINI CV
. . AIACI MODESTI CV

Non ita facilis ſiglarum illarum CV. interpretatio. An *Clariſſimi Viri*? non placet quibuſdam in plumbea fiſtula tam honorifica appellatio: An *CVratoris*, nempe *Aquarum*? diſplicet omiſſa vox *Aquarum*, vel ſyllaba AQ. illius index, quod Ajacis Curae creditum fuerat. An *Curatoris Urbis*, quod Lupus noſter (*d*) ſuſpicatus fuerat? Commode id quidem, ſi fiſtula Alexandri Imperatoris, qui

(*d*) Lupus Epit. S. Sev. p. 44.

(a) Lampr. V. Alex. num. 33.

Lampridio teſte (*a*) Curatores Urbis inſtituit, antiquior neutiquam ſit: at hoc primum incertum; tum illud deinde, ſiglae iſtae in aliis extant fiſtulis Alexandri antiquioribus, ut in illa Macrinia Lupo illuſtrata. Illud etiam poſtremo non contemnendum, Aquarum Curam ſuis creditam Magiſtratibus fuiſſe, qui ab Urbis Curatoribus diſtincti omnino erant. An *Curator Viarum*? ſtatuere non auſim. Quando igitur nihil proferre certi valeo ab aliis edoceri cupio.

XXXVI. ALBANVS HELVI
PROCVLAES DISP
ANNORVM XXV
HIC. SITVS. EST

Apud me.

Lego, *Helviae Proculaes*. *Praxis ſcribendi aes genitivo caſu ad diſtinctionem ae Dativo communior, cum ratione quidem introducta fuit*, inquit Fabrettus (*b*). *ſed paucis exemplis innititur*. Lapides qui quotidie in lucem prodeunt, non adeo pauca eſſe hujuſmodi exempla oſtendunt.

(b) Fabr. cap. VII. pap. 493.

DISPenſator, Graecis οἰκονόμος, rationibus Dominicis dati, & accepti praepoſitus erat, totaque penes illum erat Domûs adminiſtratio. Servile hominum genus, quamvis inter ſervos lectiſſimum, fuiſſe diſpenſatores contendit Fabrettus (*c*), recte uti arbitror; non enim aſſentior Maffejo, qui (*d*) ingenuos etiam hoc munere functos non dubitat; non alia potiori de cauſa, quam quod trium nominum homines *Diſpenſatores* in lapidibus quandoque occurrant. At ſequioribus Romani Imperii temporibus, haec objici jure non poſſe, ſupra animadverti (*e*). De Diſpenſatoribus plura cum Fabrettus tum Pignorius (*f*), quorum hic *Arcarios* eos aliquando nuncupatos ait; quod arca, ubi Domini pecunia continebatur, Diſpenſatoribus credita foret.

(c) Id. l. c.
(d) Maff. Muſ. Ver. pag. 130.
(e) Pag. 74.
(f) Pignor. de Ser. c. 18. p. 159.

DIS

XXXVII. DIS . MANIBVS
MARTIALI
DISP. AVG
SILVANIANO

In Collegio Clementino.

XXXVIII. VOLVSIAE PRIMAE
CONIVGI KARISSIMAE
EPAPHRODITVS QN DISP
ET
VOLVSIAE OLYMPIADI
CONIVGI SANCTISSIMAE
ET EPAPHRODITVS FILIVS
EPAPHRODITO
QN *Lupa cum Romulo & Remo* DIS

Urna elegans in Villa Albana.

XXXIX. D M S
HOTHO AVG. LIB
PAEDAGOGO
HOTHVMENE
FILIA PIISSIMO
PATRI. FEC. ET· SIBI
QVAE VIXIT· ANNIS. XXXII.

Ibid.

XL. D Ꝙ M
P. AELIO. AVG. LIB
PHAONTI. ET. DOMITIE
EPICTESI. ϧ COIVGI. SANC
TISSIMAE. LIB. SCRIPSERVNT

In Templo S. Petri in Vincula, dum novum conſtruitur pavimentum, marmorea urna inventa eſt, cum hac epigraphe. LIB. SCRIPSERVNT *Liberti Scripſerunt*. Nova ſane formula, pro veteri *poſuerunt*, *dedicarunt*, *fecerunt*. LIB. pro LIBB. veteri more; ſic COS. pro COSS.

XLI. D *Corona* M
VIRIAE ✠ MAXIMAE
QVAE. VIX ✠ ANNIS XXI
MENSIBVS ✠ IIII
DIEBVS ✠ XVI
VERVS CAE. ✠ N̄
CONIVGI PIENTI
FECIT
ET CASTRESIS . . . . .

In Vil. Peluc.

VERVS. CES. N̄. Lege *Verus Caeſaris Noſtri*, ſcilicet *Servus*, quam vocem frequenter omiſſam innumera oſtendunt exempla, quorum plura collegit Fabrettus (*a*) *Cimber Liviae*, *Philadelphus Caeſaris*, *Pythion Germanici Caeſaris*, *Doridi Aſinii Galli*, *Artemiſia Caeſaris*, apud eumdem occurrunt. Hujuſce conſuetudinis ignoratione factum, ut quae famulae fuerant, uxores habitae ſint.

(*a*) Fabr. c. 1. p. 40.

ſint. Sic Tryphonia Martyr, ut illuſtri exemplo rem confirmem, quae Etruſcillae Decii Uxoris ſerva fuerat, Decii ipſius uxor evaſit. Docuit id me olim Leslaeus noſter, iis, quas ſupra citabam litteris: *L'altra voſtra domanda è intorno a S. Trifonia ſe ſia ſtata moglie di Decio Ceſare. A queſta parimente dico di nò. Gli atti di S. Lorenzo, ſu quali ſi fonda l'opinione, che tiene S. Trifonia moglie di Decio, ſono ſenza fallo viziati in queſto luogo, e di più ſono ſtati mal inteſi. Il più antico Martirologio, che fà menzione di S. Trifonia, è quello detto* Romanum parvum, *d'onde l'hanno preſa Adone, Uſuardo, Beda, ed altri. Ora nel ſuddetto Martirologio a'* 18. *di Ottobre viene enunziata così*: Romae Tryphoniae Uxoris quondam Decii Caeſaris: *il qual modo di parlare uſitato aſſai preſſo gli antichi, dà ad intendere, che queſta non fu moglie di Decio, ma una Serva della moglie di Decio. Da queſta maniera di parlare mal inteſa hanno poi ſcritto* Tryphonia Uxor Decii, *in vece di ſcrivere* Tryphonia Uxoris Decii. Quod vir doctus de Tryphonia docet, idem fortaſſe de *Serena*, quae Diocletiani Uxor fuiſſe fertur, dicendum. Heteroclitae interpunctionis ſpecimen hìc vides, cujus in Lapidibus plura extant exempla a Fabretto & Lupo jam obſervata.

XLII. D. M.
P. AELIVS. MONIVS
LARTIAE TRVPHENAE
CONIVGI B M ET
P. APOLLINARI. ET. LAR
TIAE SECVNDINAE
LIBERTIS. POSTERISQVE
SVIS

Ibid.

XLIII.

XLIII. D M

L. AEMILIO. FELICI. QVI
VIX. AN. XIIII. M. IIII. L. AE
MILIVS. SOTERICVS
FILIO DVLCI FECIT

Ibid.

XLIV. D. M.

GN AMBIVI MAECIANI
QVI. V. A. XX. FECERVNT
FORTVNATIANVS ET
PROCVLVS FRATRI
PIENTISSIMO

In Vil. Albana.

XLV. D. M.

ANTESTIAE
GLYCERAE
V. A. III. M. VIII. D. XX.
ALLVS POTITVS
PAT. ET MVNATIA
PAVLINA FILIAE
DVLCISSIMAE

In Villa Peluc.

XLVI. DIIS MANIBVS
ARRIO. ERACLAE. FILIO
PIENTISSIMO. ET ARRIAE
SECVNDAE. PATRONAE
BENEMERENTI. FECIT
ARRIVS. EVTHYCVS
ET. ARRIA. ARESCVSA
VIXIT. ANNIS. VI

Ibid.

XLVII. CAEDICIA. PRAESENS
MONVMENTVM FECIT
SIBI. ET. SVIS. LIBERTIS
LIBERTABVSQVE
POSTERISQVE EORVM
HOC. MONVMENTVM
HEREDEM NON SEQVATur

XLVIII. DD MM
CAESIAE KARALITANAE
FILIAE DVLCISSIMAE QVAE
VIXIT ANNIS VIII. MENS. IIII
DIEBVS VI. IVLIA SEVERA MATER
FECIT SIBI ET CAESIO VERNAE
MARITO. ET LIBERT. LIBERTABVSQ.
POSTERISQVE EORVM
IN FR. P. VIII. IN AGRO P. XI

In Villa Peluc.

XLIX.

XLIX. DIS. MAN. CALLISTO
VIX. AN. IIII. MENS. XI. DIE XVII
VMIDIA. ONESIME SOROR
FRATRI. SVO PIENTISSIMO FEC
ITEM P. MATTIO. ONESIMO PATRASTO ET
TVTORI SVO. ET MATTIAE SVCCESSAE
MATRI BM. FECIT. C. FVLCINIO OP
ITEM DVOBVS CLAVDIIS MOSCHO ET HELIO
LONGINAE COGNATIS SVIS
LIBERTIS LIBERTABVSQ. POSTERISQ. EORVM
D. H. S. D. M. A

In Pal. Princ. Proxeudi.

Patraſter pro Vitrico ut in aliis lapidibus, *Vitalis Patraſter Filiaſtrae ſuae* apud Bonarrotum (*a*). *Annius Primitivus Patraſter*, apud Fabrettum (*b*); D. H. S. D. M. A. lego *Dedit*, nempe Umidia duobus Claudiis, & Longinae, Dedit. *Huic Sepulcro Dolus Malus Abſit*, vel *Abeſto*, cujus formulae affatim in lapidibus exempla.

(*a*) Bonarot. Vet. Cem. p. 153.
(*b*) Fabr. cap. III. n. 505. p. 202.

L. D. M.
CALPVRNIAE. VENERI
AE. ZOSIMVS. CONTV
BERNALI. KAR. FEC

In Villa Peluc.

CONTVBERNALI. Nimirum *Conjugi* non enim nuptiae cum ſervis, ſed contubernium romanorum legibus. *Cum Ancilla non poteſt eſſe conjugium, nam ex hujuſmodi contubernio ſervi naſcuntur* (*c*). *Servi ob violatum*

(*c*) L. 3. de inceſt. Nupt.

latum Contubernium ſuum adulterii crimine accuſari non poſſunt (a) . Hoc tamen non ita rigide accipiendum, *quin iſtis contubernalibus conjugum nomen aſſumere non licuerit* , inquit Faqrettus (*b*) , *& quidem non infrequenter* . Illuſtrat haec Plauti locus in Caſinae prologo

Quaeſo hercle quid iſtud eſt? Serviles nuptiae,
Servine Uxorem ducent? aut poſcent ſibi?
Novum attulerunt, quod fit nuſquam gentium.
At ego ajo hoc fieri in Graecia, & Carthagini,
Et hic in noſtra terra, etiam in Apulia?
Majoreque opera ibi Serviles Nuptiae
Quam liberales etiam, curari ſolent.
Id ni fit mecum pignus, ſi quis volt, dato,
In urnam Mulſi, Paenus dum Judex ſiet,
Vel Graecus adeo, vel mea cauſsa Apulus.

Ingenua Capita ſeſe *Contubernales* quandoque appellaſſe, idem obſervavit Fabrettus, pluraque hujuſce rei exempla protulit (*c*). An omnia id efficiant aliorum erit ſtatuere.

(*a*) L. 23. ad Leg. Jul. de Adult.

(*b*) Fabr. c. IV. pag. 307.

(*c*) Id. l. c. p. 314.

LI. D. M.
CANIS EVTYCES
CANIAE ELPIAE
DVLCISSIMAE
FECIT

Ibid.

LII. D. M.
CARPION
VIXIT ANN. VIIII. M. XI. D....
FECIT EVSTOC....
FILIO DVLCISSI....
IVNI . MAVRIC....
SERVOS

In Bibl. Tyrocin. S. J.

LIII. DIS MANIB.
CLAVDIAE CYPARI
FECIT
CLAVDIVS FELIX
LIBERTAE SVAE PIISSIMAE
IDEM CONIVGI
ET SIBI

In Vil. Albana.

LIV D. M.
CLAVDIA TROPHIME ET. C
CLAVDIVS VERECVNDVS
C. CLAVDIO. AMOMO. PATRO
NO BENEMERENTI. ET SIBI
ET. SVIS POSTERISQVE EO
EORVM *ſic*

In Villa Peluc.

LV. DIS MANIB
TI. CLAVDI
PHLEGONTIS
TI CLAVDI
IVLIANI
LIB.

In Villa Albana.

LVI. EVEMERON
Q. V. A. IIII. D. XV.
ET. FORTVNAT
Q. V. A. XIV. M. V
APPIVS CELER
ET CAECILIA SVC
CESSA VERNIS
FECERVNT
HI. VNO. DIE MORTVI
PVERI

LVII. D. M.
EVTYCHI
AGATHEMER
SOSIAE
FRONTINAE . SER
VICARIO OPTIMO
FIDELISSIMOQVE

In Villa Peluc.

VICARIO. Cum plures, tum illa huic voci ſubjecta notio, ut is *Vicarius* dicatur, qui Ordinario ſervo paret, & in ejus, quaſi Domini, peculio eſt, quemadmodum loquuntur Juris conſulti.

. . . . *nam*
Sive Vicarius eſt, qui Servo paret uti mos
Veſter ait, ſeu Conſervus

inquit Horatius (*a*). Hujuſmodi fuiſſe *Eutychum* hunc nullus dubito. Ordinario ſervo libertatem adepto ſi Vicarius ab eo liber efficiebatur, ipſummet in Patronum agnoviſſe Gruterianae hujus inſcriptionis teſtimonio confirmat Fabrettus (*b*).

(*a*) Hor. Sat. 7. l. II.

(*b*) Fabr. cap. II. p. 302.

DIIS
MANIBVS
C. FABRICII. C L
VOL. PROXIMI
TOLOSENSIS
C. FABRICIVS
VICARIVS
PATRONO . BENE
MERENTI . FECIT &c.

Aſſentior; at non illud placet *Servos quandoque in ſervitute remanentes ſuos libertos habuiſſe*, illa enim Antonia Hermais Aſterii Caeſaris Servi conjux, cujus exemplo nititur (*a*), non Aſterii Liberta fuit, ſi quid video, ſed Antoniae Januariae, cui monumentum illud ab utroque conjuge poſitum eſt.

(*a*) Fabr. c. 1. p. 7 num. 30.

LVIII. FELICVLA
L. COPONIVS . L. L.
FORTVNATVS
VIX. AN. IV. ET MENS. V.

Ibid.

LIX. D. M.
FLAVIAE . PROVINCIAe
QVAE . VIXIT . AN. XXXIII
FLAVIVS APOLLONIVS
CONIVGI SVAE BENE
MERENTI FECIT
CVM QVA . VIXIT AN
XXII. ET . SIBI
ET . SVIS POSTERISQ. EORVM

Ibid.

LX.

Iis addenda inſcriptio iſta, quas exhibet Fabrettus (a); nam & haec Feminam annis XII. minorem nuptam oſtendit, contra quam Romanis legibus cautum foret.

(a) Id. c. VII. p. 686. n. 186. 187.

LX. D. M.
FLAVIO . AVG. LIB
REDEMPTO FLAVIA
CHRESTE . CONIVGI
BENEMERENTI

Ibid.

LXI. DIS . MANIBVS
M. FVLVIO . P. F. PALATINA
AVGVSTALI
V. A. X. M. V.
FECERVNT . PARENTES.

LXII.  D  M 
HOS . TILIAE
CAPRIO. LAE. CON
IVGI. BENE. MEREN
TE POSVERVNT
T. SENTIVS IANVA
RIVS . ET
L. TERENTIVS
TROPHIMVS.

In Villa Peluc.

Duobus.

Duobus maritis *Capriolam* hanc cum occubuit, conjunctam fuiſſe cave credas. Muratorio id perſuaſum (*a*), qui plura harum inſcriptionum exempla nactus, non alterum conjugem, alterum cognatum, uti Bimardius ſuſpicatus fuerat, eſſe vult; ſed utrumque maritum fuiſſe pro certo habet; neque dubitat, quin apud infimam Romanorum plebem in more poſitum fuerit, ut mulier una maritis duobus eodem tempore juncta foret. Hoc ita ſibi perſuadet, ut de ſententia diſceſſurus non ſit, niſi Romanorum veterum lex quaepiam objiciatur, qua hujuſmodi conjugia interdicta, & multata fuiſſe conſtet. An aliquam XII. Tabularum legem poſtulet hic Muratorius ignoro; fuiſſe legem hanc apud Romanos nullus dubito, ſiquidem lego. *Nemini qui ſub dictione ſit Romani nominis binas uxores habere poſſe vulgo patet: cum etiam in edicto Praetoris hujuſmodi viri infamia notati ſint* (*b*). *Eum qui duas ſimul habuit uxores ſine dubitatione comitatur infamia. In ea namque re non juris effectus, quo cives noſtri matrimonia contrahere plura probibentur, ſed animi deſtinatio cogitatur* (*c*). Viri docti abſurdam opinionem copioſe, ſolideque me judice, confutat Maffejus (*d*), cujus ea eſt conjectura, ut eorum uterque, qui uni feminae veluti uxori memoriam ſtatuit, ejuſdem vere Maritus fuerit, attamen *ſucceſſive*. Animadvertit enim divortia apud Romanos, non omnia diſſidiis intervenientibus facta. Id conſilii, virum, & mulierem ob mutuas quandoque utilitates concorditer complexos fuiſſe. Hinc minime mirum ſi benevolentia durante, ubi mulier decedebat, una cum praeſente marito, anterior quoque ad ejus honores concurreret. Viri docti conjecturis libens lubenſque ſubſcribo. En alterum anomalae inſcriptionis ſpecimen, conſulendus Lupus (*e*), qui pluribus oſtendit, Embolimaeos hoſce punctos, non ad exprimendum moerorem interjectis pauſis ut in legentium animis propinquorum, ſeu viatorum facilius excitaretur dolor, & fierent productiora ſuſpiria, appoſitos, quemadmodum vir doctus ſuſpicatus fuerat,

(*a*) Mur. pag. 1297.

(*b*) L. 2. de inceſt. Nupt.

(*c*) L. 17. ad Leg. Jul. de Adult.

(*d*) Maſ. Mur. Ver. pag. 148.

(*e*) Lup. Epit. S. Sev. p. 73.

rat, ſed a quadratariis, atque artificibus pro libitu uſurpatos, praeſertim poſt ſaeculum ſecundum.

LXIII. D. M.

M. IVLI . AMPLIATI
Q. VIXIT . ANNIS
XII. MENS. III. FECIT
ſic *ſic* *ſic*
M. L. ORLIVS PECVLIARIS
ſic
AVNCVLVS

Apud P. Ant. Benedetti S. J.


M. L. Secundo hoc elemento gentis alterius nomen potius, quam praenomen latere arbitror, neque enim novum duo gentilitia nomina uni homini tributa; nec illud etiam novum in Lapidibus familiae nomen *initiali* tantum Litterâ deſignatum, uti apud Fabrettum (*a*) L. P. QVINTIO, ſcilicet *Lucio Pupio Quintio*; lege igitur *Marcus Livius*, vel *Livineius*, vel *Lutatius &c.* vel aliud hujuſmodi gentile nomen. *Orlia* gens hoc primum ex lapide, quod ſciam, innoteſcit.

(a) Fab. c. 5. n. 152.

LXIV. D. M.



L. LICINIO
ANICETIANI
CONIVGI OP
TIMO ET BENE
NERENTI MINI
CIA PROCVLA
FECIT



In Villa Albana.

LXV.

LXV. D. M.
LOCI IN QVO
CORPVS . T. LV . . .
SABINIANI . LV
CIANI CREMA
TVM EST

Ibid.

LXVI. D. M.
MEMORIAE LYCISCAE
CONIVGIS CASTISSI
MAE . SVIQVE AMAN
TISSIMAE
DIODORVS

LXVII. BENE . FICIO . NONIAE
Ɔ. L. NOTAE . A
RVTILIVS. A. ET
(1) Ɔ. L. ATHENIO
HIC. SITVS. EST

In Palat. Principis Praeneſtini.

LXVIII. D. M.
SEX . NONIO
RHETORICO
CONIVGI
INDVLGENTISSIMO
NONIA
CAENIS

In Vil. Albana.

DELI-

(1) Auli, & Cajae Libertus,

LXIX. NOSTIA L. L.
MVSA
L. NOSTIVS. L. L
PHILOMVSVS
COSMVS
DELICIVM
IN. FR. P. XII
IN. AGR. P. XIII

In Villa Peluc.


DELICIVM. *Solemnes*, inquit Fabrettus (*a*) *tenerae*, *aetatis Blanditiae*. Delicium puellulas etiam vocari ſolitas idem animadvertit. *Felicula Staſimi Delicium*, Lapis vetus apud eumdem.

(*a*) Fabret. cap. 8, p. 43.

LXX. GN. OCTAVIO. ANTHO
GN. OCTAVIVS. PRIMIGENIVS
PATRONO. OLLAM. DONAT
MARCIA HELPIS

In Pal. Princ. Praeneſtini.

LXXI. M. PAPINIO
APOLLONIO
ET. MAECIAE
EVPHROSINAE
CONIVGI ❦
DVLCISSIMAE

In Villa Albana.

LXXII.

SECVNDA BVLLATIA
P. F. FILIA

PAVLLA BVLLATIA
P. F. MATER

MATER. DE. SVA. PECVNIA. SIBI. ET. FILIAE. FECIT

Ibid.

LXXIII.

SEPTIMIAE
IVLIANETICO
IVGI BENEM
ERENTI TRY
FONIANVS
(1) R. VIII IDVS
MAIAS VIXI
T ANNOS XXXII

In Pal. Princ. Praeneſtini.

LXXIV.

DIS MAN
A. SERGIO
PHOEBO FEC.
PHOEBE COIVC
BENEMERENTI

Senis apud Nob. Bandinios.

LXXV.

(1) *Receſſit*, uti apud Fabr. c. VII. n. 25. vel *Requievit*, uti apud eundem c. VIII. n. LXXXVIII. p. 582. vel *Reddidit* ib. p. 558.

LXXV. D. M.

P. SVLLIO NARCISSIANO
FILIO. BENEMERENTI. FECIT
TERENTIA. SECVNDILLA
ET. SIBI. ET. SVIS. POSTERISQVE
EORVM. ITA. NE. DE. NOMINE
LIBERTORVM. LIBERTARVMVE
MEORVM. POSTERISQ. EORVM. EXEAT

In Villa Peluc.

NE DE NOMINE EXEAT. Videlicet de familia, quamvis latius patere nomen, quam familiam non ignorem. Sic apud Gruterum (a) *ne de nomine, exeat familiae ſuae*: apud Fabrettum (b) *ne de nomine ſuo, aut familia exeat*. Idem his formulis cautum opinor, quod illis aliis: *Hoc monumentum Heredes exteros non ſequatur*, quae toties in antiquis lapidibus occurrunt.

(a) Grut. p. 762. 5.
(b) Fabr. c. x. n. 367. p. 715.

LXXVI. TREBATIAE
PHYLLIDIS
OSSA
H. S. S.

Ibid.

LXXVII. D 6 M

VALERIAAE. SATVRNINAE
VIX. ANN. VIII. DIEB. XV
L. VALERIVS. MARRA. ET. VALERIA
HERMIONE PARENTES
IN. FR. P. II. IN. AG. P. IIII

Ibid.

Ff 2 LXXVIII.

LXXVIII. D. M.
VALERIA· IRENE
LIBERTA. PATRONO
ET. VIRO. B M. M. VALERIO
pROCVLO. FECIT. ET. SIBI. ET. SVIS
liBERTIS. LIBERTABVS POSTERISQVE
EORVM

Ibid.

Irenem ſervam cum libertate donaſſet M. Valerius Proculus, atque in Valeriam familiam inſeruiſſet uxorem ſibi adjunxit: hinc *Patronus*, & *Vir* ab eadem nuncupatur.

LXXIX. L. VALERIVS CAPITOLINVS
FECIT
PONTIAE VENERANDAE
B ET. L. VALERIO. ACRATO B
PARENTIBVS. ET
L. VALERIO. SABRIONI. TATAE SVO
ET. POSTERISQVE. EORVM

Ibid.

LXXX. D. M.
VICTORI. FILIO
BENEMERENTI
MVRSINE. MATER. ET
MERCVRIVS. PATER
ET. HILARVS TATA. FE
CERVNT. VIXIT. AN. II. M. III

Ibid.

Uter-

Uterque Titulus aperte oſtendit, voce illa TATA non ſemper Patrem deſignatum apud veteres; Id Pignorius (*a*), & Fabrettus obſervaverant; *Nutritoremque*, quem nos *Balio* dicimus iis in lapidibus TATAM vocari docuerant. *Propri e igitur*, inquit Fabrettus, *intellectus iſtius nominis Tatae colligitur*, *ut non ſolum ſit bleſae puerorum linguae ſonus*, *ſed veri officii Nutritoris deſignatio*. Videant viri docti, utrum *Avus* potius, quam *Nutritor* voce illa deſignetur; animadverto enim *Valerii noſtri Capitolini* Tatam L. Valerium vocari.

(a) Fabr. cap. III. p. 141. 142. Pignot. de Serv. c. xx.

B. B. Siglas haſce *bonis bonis* nempe *optimis* interpretatur Scaliger apud Gruterum (*b*), qui eodem hic ſenſu acceperit, & Capitolini parentibus tribuerit, is non temere faciet me judice.

(*b*) Grut. p. 284. n 5.

LXXXI. VOLCACIAE. M. L
POTESTATI
. . . VOLCACIVS PRIMIO
eT. M. VOLCACIVS
DONATVS
: . . . . . . POSVERE
. VOLCACIA NIMPHE. L . . . .
. . . . . , ...

LXXXII. L. VOLVSIVS. Ɔ. L
MENESTHEVS

T. ATELENVS
T. L. ANDROM
ACHVS

In Villa Peluc.

Duplex titulus unico lapide inciſus. Horum plures apud Fabrettum, Gorium, alioſque occurrunt, Servorum plerumque, ac Libertorum, non unius modo, ſed diverſae etiam familiae, ut hic qui ad *Voluſiam* & *Atelenam* gentem pertinet.

LXXXIII.

LXXXIII. THOANTIS &c.

Inſcriptionem hanc dedit Muratorius (*a*), ſed Laminâ minime inſpectâ, neque magnitudinem, neque ornamenta, neque caracterum figuram expreſſit. Placet igitur eamdem ex Archetypo, exceptam hic proponere. De ea ſic Muratorius, *Videtur Teſſera, qua utebatur Thoans Ti. Caeſaris Diſpenſator, ejuſque Tabellarius, ut ab aliorum Stationum Miniſtris in publico curſu agnoſceretur. Tobis (locum quippe opinor) ejus Statio peculiaris erat, a qua diſcedens Teſſeram hanc ſecum portabat.* Teſſeram, qua Thoans a Stationariis, veredos accipere poſſet ultro agnoſco; At *Tobis* Thoantis ſtationis nomen eſſe non ita facile mihi perſuadeo, nulla ſane neque in Itinerario Antonini, neque in Peutingeriana Tabula, queis Militares viae deſcriptae ſunt hujuſmodi nomine occurrit. Statio Thoantis, quae ad publicum curſum fortaſſe non pertinebat, *Caeſaris Auguſti*, uti ſuſpicor, vocabatur; video enim apud Anaſtaſium (*b*) in Sabinis locum, cui nomen *Auguſto*, ubi & alius occurrit, qui *Tiberii Caeſaris*, nomen praeſeferebat. Pro *ab. Tobis*, mallem *ab Togis*, & Thoantem ab Togis, ſeu Togarum *Diſpenſatorem* libenter crederem; Togis nimirum, vel Auguſtae Domui, vel iis, qui hoc a principe munere donarentur diſtribuendis Praepoſitum. Sic *Diſpenſatores a frumento*, quorum in lapidibus mentio, ii ſunt, Maffejo teſte (*c*), *qui alimenta pueris & puellis ab Imperatoribus erogata diſtribuebant, & partiebantur.* Quarta, & quinta linea ſecundae inſcriptionis lego *Tabellarii Diplomarii*. *Tabellarius* fuit Thoans, eaque diplomata per provincias portabat, quibus Principes publici curſus facultatem tribuebant. Diplomata enim haec a Principe ipſo per Provincias miſſa, ex Trajani ad Plinium epiſtola diſcimus (*d*): *Diplomata quorum praeteritus eſt dies in uſu eſſe non poſſunt: ideo inter prima injungo mihi, ut per omnes provincias ante mittam nova Diplomata, quam deſiderari poſſint.* Ex quibus illud etiam intelligis Diplomata haec ad certum tempus conceſſa, quo elapſo iiſdem uti non amplius licebat.


(*a*) Mur. p. 1015. n. 1

(*b*) Blanc. in Anaſ. T. 11. p. 316. 319.

(*c*) Maff. Muſ. Ver. p. 130. n. 7.

(*d*) Plin. Epiſt. 35. lib. x.

LXXXIV.


DE
STATIONE
CAESARIS·AVG·
TABELLARIS
DIPLOMARI
DISCEDE

LXXXIV. (1)

.. ALGIO MO.... C*S
.. ICIRIO TALE
.. AT FVER II II AVG
.. LICIO LVCEIO BARBA C*S
.. ECIONE MEMIO AEPO
LAT FVER IIII I IVL
SATVRN
AMILLI
R PRI

LAT FVER VII I IVL
... AESARE AVG DOMITIANO C...
C. VALERIO FESTO
LAT FVER VII I IVL
ELICINIO MV I NNO I

... NIO .... LVAN ... GRA ...
LAT FVER PR IVL
C. MINICIO FVNDANO C....
C. VETTENNIO SEVERO
LAT. FVER PR IDV AVG
P. AELIO HADRIANO
M. TREBATIO PRISC C
LAT FVER VI I IVL
P. CALVISIO TVLLIO
L ANNIO LARGO
LAT FVER VI I I

In

(1) Hanc & ſequentem quod caeteris ſerius acceperim, hic, quamvis non ſuo loco, exhibeo.

In ſummo Albani montis jugo Templum *Jovi Latiali* (1) Sacrum fuiſſe, ibique Ferias, quae *Latinae* dictae ſunt, a Romanis aliiſque Latii populis longa annorum ſerie celebratas.

. . . . *opinor*
Omnibus, *&* *Lippis notum*, *&* *Tonſoribus eſſe*.

Illic tribus praegrandibus ſaxis inciſa reperta hoc anno ſunt fragmenta haec *Feriarum Latinarum* quoſdam veluti *Annales* referentia, ſic enim legendum

. . . ALCIO . . . MO . . . . .
ICIRIO . . . . TALE . . . . CONSulibus
LATinae FVERunt II II . . . AVGuſti

Quam vellem Annales hujuſmodi integri ad nos perveniſſent! Haberemus grave in primis, & idoneum monumentum ad Conſulares Faſtos emendandos, in quibus poſt tot doctiſſimorum hominum commentaria, & labores, plurima adhuc ſunt perturbata, & obſcura, quae criticum lectorem morentur, & torqueant. Sed & illud doleo Fragmenta, quae in lucem prodiere, vel non ſatis diligenter exſcripta, vel temporis injuria non uno in loco corrupta eſſe, & mutila. Ut ut ſunt, placuit viris doctis proponere, ut quid de iis ſtatuendum ſit, intelligam, & pauca interim adnotare.

LATinae. De Latinis Feriis a Tarquinio Superbo inſtitutis omnia vulgaria, & trita, copioſe de iis poſt Dionyſium Halicarnaſſeum, Varronem, Macrobium, Ale-

(1) Latinum Regem hoc nomine cultum, eique hujuſce montis templum dicatum fuiſſe nonnulli tradunt, quorum conjecturas Feſti (a) authoritate firmari poſſe video, apud quem lego: *Cauſa autem ejus jactationis* [oſcillarum nimirum] *proditur. Latinus Rex, quod praelio quod ei fuit adverſus Mazentium Ceritum Regem, nuſquam apparuerit, indicatuſque ſit Juppiter factus Latiaris. Itaque per ſex eos dies feriatos liberos ſervoſque requirere eum non ſolum in terris, ſed etiam quia videretur coelum adiri poſſe per oſcillationem &c.*

(a) Feſt. V. Oſcilla.

Alexander ab Alexandro, Roſinus, aliique Romanarum antiquitatum Scriptores. Illud unum hic attingam, quod ad haec fragmenta illuſtranda pertinere videtur. Latinis Feriis nullus in Romano Kalendario certus dies; *Conceptivae* erant, uti *Sementinae*, & *Compitaliciae*, & Conſules quotannis diem, quo agendae forent *concipiebant*. Horum aliqui apud Livium occurrunt: anno U.C. 586. L. Aemilio Paullo II. & C. Licinio Craſſo Coſ. Pr. Kal. Aprileis celebratae ſunt, quod non ſolum apud Livium leges (*a*), ſed etiam in celebri illo actorum Senatus fragmento, a Graevio, Reineſio, aliiſque evulgato.

(*a*) T.Liv. lib.44. num.22.

PR. KAL. APRILEIS. FASCES. PENES. LICINIVM.
LATINAE. CELEBRATAE. ET. SACRIFICATVM.
IN. MONTE. ALBANO. ET. DATA VISCERATIO.

anno 578. actae in ante diem III. Non. Maj. (*b*): anno 542.: *Romae Conſules*, inquit Livius (*c*), *Praetoreſque uſque ad diem* v. *Kal. Maj. Latinae tenuerunt, eo die perpetrato Sacro in monte in ſuas quiſque provincias proficiſcuntur*: ex hoc loco orta Manutio dubitatio, Conceptivaene an Stativae eſſent Feriae Latinae: *In eo*, inquit, *meam fluctuare ſententiam fateor Conceptivaene an Stativae fuerint Latinae. Si Varronem, & Macrobium ſequamur Antiquitatis utrumque peritiſſimum, Conceptivae erant non Stativae ... Livius tamen Stativas indicat fuiſſe quum ait, Romae Conſules Praetoreſque uſque ad diem V. Kal. Maj. Latinae tenuerunt &c. non enim ſimile veri eſt, Conſules cum victor Annibal vaſtaret Italiam conſulto in V. Kal. Maj. qui dies a primo initi magiſtratus die, hoc eſt ab Idib. Martiis* 43. *dierum ſpatio diſtat, Latinas diſtuliſſe, ut ipſi ſibi diutinae in urbe manſionis neceſſitatem imponerent, quum ire in provincias, neque Conſulibus, neque Praetoribus liceret, niſi Latinarum ſacro peracto, aut igitur eas e Stativis in ordinem Conceptivarum poſtea tranſiiſſe cre-*

(*b*) Id.lib.41.n.16.
(*c*) Id.lib.25.n.12.

(a) Manut. in ep. ad Q. Fr. lib. 2. ep. 4.

credendam eſt ; aut latentem cauſam alii perſcrutentur . Haec ille (*a*) : at non eſt cur primum nullo auctore credamus , neque cur alterum ſcrutando , perſcrutandoque defatigemur ; aperta enim res eſt . Nulla Conſulibus maturandi cauſa erat , Annibale circa Tarentum in hibernis commorante , quum ſuperioris anni Conſules , Ti. Sempronium Longum , & Qu. Fabium , ab exercitu non diſceſſiſſent . *Comitiorum Conſularium jam appetebat tempus* , inquit Livius (*b*) , *ſed quia Conſules a bello intentos avocare non placebat , Ti. Sempronius Conſul Comitiorum cauſa Dictatorem dixit , C. Claudium Centonem* . Cum igitur Conceptivae eſſent Latinae feriae non eſt cur mireris , ſi hiſce in fragmentis , eas , nunc IV. Id. Jul. nunc VII. nunc pr. Id. Aug. nunc III. vel IV. Id. celebratas videas . Illud potius mirum cur per hoſce annos tam ſero peractae ſint . Cum enim religio foret , ut recte Manutius animadvertit , Conſules in provincias ante *Latiare Sacrificium* proficiſci ; quam primum Latinas celebrare oportebat : Qua in re cum quid certi afferam non habeam , juvat conjecturis aliquantulum indulgere . Latinas Ferias , ſi quid omiſſum , ſi quid non rite peractum , inſtauratas fuiſſe non ſemel video , atque altero anni tempore celebratas . *Latinae feriae* , inquit Livius (*c*) *fuere ante diem* III. *Nonas Maj. , in quibus quia in una hoſtia , magiſtratus Lanuvinus precatus non eſt populo Romano Quiritium religioni fuit . Id cum ad Senatum relatum fuiſſet , Senatuſque ad Pontificum Collegium rejeciſſet ; Pontificibus , quia non rectae factae latinae eſſent , inſtauratis latinis , placuit Lanuvinos , quorum opera inſtauratae eſſent , hoſtias praebere . . . Conſul Qu. Poetilius quum primum per auſpicia poſſet , collegae ſubrogando comitia habere juſſus & Latinas edicere ; Comitia in ante diem* III. *Nonas Sextiles ; Latinas in ante diem* III. *Idus Sextiles edixit* . Haec Livius , ex quibus ſuſpicor Latinas haſce ex iis eſſe , quae prioribus perperam actis inſtauratae fuerunt . Neque fortaſſe temere animadverto , Conſulatus , qui hiſce in fragmentis inſcripti leguntur , non con-

(b) T. Liv. lib. xxv. n. 2.

(c) T. Liv. lib. 41. num. 16.

continenti annorum ſerie progredi, ſed alterum ab altero aliquo annorum intervallo diſtare. Ut exemplo rem probem, Fundanus, & Severus, Conſules fuere ſuffecti a. U.C. 804. excipit hos P. Aelii Hadriani Conſulatus, longo ſatis annorum intervallo, ſi hic Hadrianus eſt, uti non temere reor, Trajani Imperatoris ſucceſſor, hic enim primum Conſulatum, qui ſuffectus fuit, anno iniit P. R. C. 862. Haec tamen divinando dicta ſint, atque ut aliorum ſententiam exquiram potius, quam ut promam meam.

. . ALCIO. An Valgio? C. Valgius Conſul ſuffectus occurrit anno U. C. 742. at illi *Ruſo* cognomen; huic fortaſſe *MOdeſto*.

LVCEIO. Luceium Albinum, antiquioribus ommiſſis, Fragmenta enim haec anno U. C. 727. quo Caeſar Octavianus AVGVSTI nomen ſortitus eſt, & Sextilis menſis Senatûs-Conſulto, quod Macrobius (*a*) recitat, & Plebiſcito Sex. Pacuvii Trib. Plebis rogatu facto, AVGVSTVS appellatus eſt, recentiora ſunt, ut nemo non videt; *Luceium* inquam *Albinum*, apud Tacitum invenio (*b*) Mauritaniae a Nerone, Tingitanae a Galba praepoſitum, a Vitellianis, dum e Tingitana in Mauritaniam tranſiret, trucidatus; at Luceium BARBAtum ignoro.

AESARE AVG DOMITIANO. Lego CAESARE AVG. F. DOMITIANO; ut in alio lapide apud Gruterum (*c*). Domitianus Conſul ordinarius proceſſit a. U.C. 826. Vulg. Aerae 73. Collega Valerio Meſſalino; an unus idemque Valerius ſit duplici cognomine inſignis, neſcio, cur diverſos credam perſuadet primum, quod an. 826. Domitianus iterum Conſul fuit, nulla hîc autem geminati Conſulatûs nota: deinde Conſulatus ille, ut dixi ordinarius fuit; Ordinarios porro Conſulatus, non ultra Kal. Majas tenuiſſe Domitianum (*d*) ex Svetonio facile patet; hic autem video Domitianum Conſulem VII. Id. Jul. Hinc & Valerium hunc alium a Meſſalino arbitror, & Conſulatum hunc ad annum U. C. 824. Vulg. Aer. 71. pertinere ſuſpicor; quo primum Conſul ſuffectus fuit Domitia-

Gg 2

(*a*) Macro. Sat. l. 1.

(*b*) Tacit. Hiſt. II.

(*c*) Grut. p. 573. 1.

(*d*) Svet. in Dom. cap. 13.

mitianus ex Kal. Martiis, ut recte oſtendit Noriſius (a). Quominus tamen id certo ſtatuam prohibet Gruteriana illa inſcriptio quam citavi, quae Domitiano *Gn. Pedium Caſtum Collegam* tribuit. Quid ſi vel abdicante, vel mortuo Pedio, Valerius ſuffectus fuerit? alii videant.

(a) Noriſ. Ep. Conſ. pag. 55.

C. VALERIO. FESTO. *Legionem in Africa regebat Valerius Feſtus ſumptuoſae adoleſcentiae, neque modice cupidus, ſed affinitate Vitellii anxius*, inquit Tacitus (b). Utrum hic, an alius Collega Domitiani fuerit, alii quaerent.

(b) Tacit. Hiſt. lib. IV.

ELICINIO &c. Lego M. LICINIO MVCIANO... M. Licinius Mucianus triplici ſuffecto Conſulatu illuſtris fuit, primum geſſit anno U. C. 805. Vulg. Aerae 52. ex Kal. Jul. *Servilio Barea Sorano* collega; alterum anno U. C. 823. Vulg. Aer. 70. collega Domitiano, ut notatur in Faſtis; at perperam, ut bene Noriſius citato loco oſtendit, Domitianus enim hoc anno Praetor conſulari poteſtate, non Conſul fuit, Tertium anno U. C. 828. Vulg. Aer. 75. ex Kal. Jul. Domitiano IV. collega, ut in Faſtis lego. Ex his ſecundus loco fortaſſe ſuo dimovendus, atque inter an. 71. & 75. collocandus.

..NIO.... LVANO. GRA.... An *Licinio Silvano Graniano*? Qu. Licinium Silvanum Granianum ex Gruterianis Lapidibus ſemel atque iterum profert Noriſius (c): an potius ANNIO SILVANO GRA.... Sex. Annius Silvanus, Collega T. Annio Vero Pollione, ordinarius Conſul proceſſit, anno U. C. 834. Vulg. Aer. 81. uti ex Gruteriano lapide (d) ſtatuit Noriſius; quamquam, ut verum fatear, Annios hoſce Conſules fuiſſe ex illo lapide ſatis conſtat; fuiſſe hoc anno, non video.

(c) Noriſ. Ep. Conſ. p. 103.

(d) Grut. p. 1040. num. 1.

C. MINICIO FVNDANO.

C. VETENNIO SEVERO. Hos anno U. C. 804. Vulg. Aer. 51. ex Kal. Jul. Conſules ſuffectos fuiſſe ſupra dixi.

P. AELIO HADRIANO. An Hadriani Imperatoris Pater, an Patruus magnus, quorum meminit Spartanus: An Hadrianus ipſe Imperator, qui ut dixi anno U. C.

U. C. 862. Vulg. Aer. 109. Conſul ſuffectus fuit, collega Publicio Celſo, antequam Imperium adipiſceretur? Eo anno ordinarii Conſules ex Faſtis, Cronico Alexan. Idat. & Anonym. A. Cornelius Palma II. & C. Calviſius Tullus II. Suſpicatur Lydiatus apud Almelovenium Conſules hujus anni, tum ſuffectos, tum ordinarios, ad ſuperiorem annum 861. pertinere, eoque omnes Conſules ſuffectos fuiſſe, rectene an perperam non ſtatuo. Illud ex noſtro lapide colligi poſſe arbitror, P. Aelium Hadrianum, & C. Calviſium eodem anno ſuffectos nequaquam fuiſſe.

M. TREBATIO PRISC. M. Trebatium Priſcum, vel Priſcinum, qui Hadriani aetate floruerit, nullum invenio.

P. CALVISIO. TVLLIO. *Tullo* fortaſſe legendum. Calviſio *Caj* Praenomen tribuunt Faſti, ad an. ut dictum 862., noſter hic lapis *Publium* vocat. Calviſium Tullum bis Conſulem nominat Capitolinus (*a*); iterati Conſulatus notam video in Faſtis, at priorem Conſulatum fruſtra requiro, hinc ſuffectum fuiſſe arbitror; at quo anno contigerit, neſcio. Illud ex hoc lapide animadverto, cum Calviſii, tum Hadriani ſuffectos Conſulatus ante annum 862. collocandos atque hic altero citius.

(*a*) Capitol. in V. M. Antonin.

L. ANNIO. LARGO. De Annio Largo nihil compertum habeo. Annium Verum Conſulem fuiſſe, collega Neratio Priſco, lego apud Venulejum Saturninum (*b*), *ex Senatus-Conſulto, quod Neratio Priſco, & Annio Vero Conſulibus factum eſt*, uterque circa haec tempora vixit; nempe ſub finem primi ſaeculi, & ſecundi initio. Annius Verus Avus M. Imperatoris fuit bis Conſul, & Praef. Urbi, teſte Capitolino (*c*). Neratium Priſcum memorat Spartianus (*d*): *Frequens ſane opinio fuit Trajano id animi fuiſſe, ut Neratium Priſcum, non Hadrianum ſucceſſorem relinqueret.*

(*b*) D. ad l. Corn. lib. 48. Tit. 8, n. 6.

(*c*) Capit. l. c.

(*d*) Spar. in V. Hadr.

C. RVF.

LXXXV.

. C. RVF .
VOLVSIANVS. V. C
PATER IEROFANTA
PROFETA. ISIDIS
PONTIFEX. DEI. SOL. ..
VOT. SOLVI.

Inſcriptio haec marmoreae baſi in Aventino hoc anno 1764. effoſſae inciſa legitur.

Rufii Voluſiani illuſtres Romano in Imperio ex antiqua Voluſorum gente, ſi Rutilio Numatiano credimus (*a*).

(*a*) Rutil. Num. Itin. lib. 1. v. 167.

Jamque aliis Romam redeuntibus haeret eunti
Rufius Albini gloria viva patris
Qui Voluſi antiquo derivat Stemmate nomen,
Et reges Rutulos teſte Marone refert.

De iis plura Noriſius, Tillemontius, Reineſius, & Sebaſtianus Paullius (*b*), quorum hic Rufios Voluſianos quinque ex hiſtoria & faſtis IV. & V. ſaeculo Vulg. Aerae conſpicuos nobis exhibet.

(*b*) Noriſ. Advent. ad Fr. Maced. Tillem. Emp. H. Eccl. Rhein. Inſcr. Pauli de Numo Aureo Valentis.

1. C. Cejonium Rufium Voluſianum, Maxentii Praef. Praetorio, qui Alexandrum Africae tyrannum vicit.

2. C. Cejonium Rufium Voluſianum Conſulem an. 311. & 314. qui apud Gruterum (*c*), *Corrector Italiae per annos octo, Africae Proconſul Comes D. N. Conſtantini Praef. Urbi Judex Sac. Cognit. Conſul* dicitur.

(*c*) Grut. p. 387. n. 5.

3. C. Cejonium Rufium Albinum Voluſianum an. 335. Conſulatu inſignem, ſuperioris filium, non uti Reineſius Nepotem, ſiquidem C. Cejonius Rufius Albinus Voluſianus anno poſt Caeſariana tempora 381. *C. Cejonii*

jonii Rufii Voluſiani bis Conſulis ordinarii nominatur; anni autem 381. poſt Caeſaris mortem ex auctoris rationibus in annum 335. Vulg. Aerae incidunt.

4. C. Cejonium Rufium Voluſianum Urbi Praefectum anno 364., atque iterum anno 373. cujus prioris Praefecturae meminit Lapis hic Fabrettianus (*a*),

(*a*) Fabr. c. III. p. 208. n. 513.

DD. NN. VALENTINIANVS
ET. VALENS. AVGVSTI
ORNATVI PVBLICO
CONSTITVI LOCARIQVE
IVSSERVNT
ADMINISTRANTE RVFIO
VOLVSIANO V. C. EX. PRAEF
PRAET. PRAEF. VRBI. IVD
ITERVM SACRAR. COGNIT.

ex latere dextro:
VSTO. III
ET. F. ITER. COS
VIT (1)
LEI

poſteriorem commemorant lapides duo, alter apud Fleetwood: *Cejonius Rufius Albinus Voluſianus U.C. Praef. Urbi iterum*: alter apud Gruterum, *Rufius Voluſianus U.C. Praef. Urbi iterum* (*b*). Lapides hi Valentiniano, & Valente Auguſtis poſiti, ad Cejonium hunc pertinent. Hunc Albinae Patrem, Melaniae Avum ſuſpicatur doctus auctor. *Hariolari licet cur*, Melania Roma anno 373. diſcedens, *filium unicum Praetori Urbano tradiderit cuſtodiendum. Etenim in id tempus aeternam Urbem regebat Voluſianus noſter Albinae pater, & ejuſdem Melaniae avus.*

(*b*) Fleetvv. Syll. Ant. Inſcr. pag. 25. Grut. p. 285. 2.

5. Cejonium Rufium Voluſianum Voluſiani IV., & Cecinae Lollianae filium, Albinae Piniani Uxoris Fratrem, Aſiae Vicarium, & anno 417. Urbi Præfectum, cui auctor lapidem hunc Gruterianum (*c*) tribuit.

(*c*) Id. p. 28. n. 5.

DD. NN.

---

(1) Legerem AVGVSTO III. *& Fratre*, nempe Valente, *iterum Conſulibus*. At uterque Auguſtus Conſulatus numero pares geſſit: Quocirca, vel legendum Auguſto II. *& Fratre iterum Conſulibus* anno nimir. 368., vel lapis non bene deſcriptus eſt.

DD. NN. FL.... VALENTINIANO ET GRATIANO
RATORIBVS SVIS
CEIONIVS RVFIVS VOLV...si-
ANVS V.C. ET INLVSTRis
EX VICARIO ASIAE ET CEIO
NI RVFI VOLVSIANI. VC
ET INLVSTRIS. EX PRAEFECTO praet-
ORIO ET EX PRAEFECTO VRbi
ET CECINE LOLLIANE CLARissi-
ME. ET. INLVSTRIS. FEMINe
DEAE ISIDIS SACERDOTIS FIlius
ITERATO VIGINTI ANNIS EX Percep-
TIS TAVROBOLIIS VI. ARAM CONSTITVit
ET CONSECRAVIT X. KAL. IVN. D.N. VAlen-
TINIANO. AVG. ET NEOTERIO Coss.

Plura ſunt, de quibus a viro docto diſſentiam, potiora breviter perſtringam. Ac primum non placet *C. Ruſium Voluſianum* Maxentii Praef. Praetorio, nullo auctore, a *Ruſio Voluſiano* Conſule anno 311. 314. diſtingui; unum eumdemque fuiſſe non dubito, & Pagio aſſentior, qui Ruſium Voluſianum Alexandro devicto Victoriae praemium Conſulatum anno 311. menſe Septemb. a Maxentio Romae imperante adeptum fuiſſe, eumdemque anno 314. Conſulem iterum proceſſiſſe; atque hinc *Secundum* Conſul in Gruteriano lapide, quem auctor citat; recte dicitur, quod ſecus foret, ſi Alexandri victorem a Conſule an. 314. diſtinxeris; neque enim ulla dubitandi ratio eſt, quin Conſul anni 311. ille ſit, qui Maxen-
tii

tii Praefectus Praetorio fuit, & Alexandrum vicit.

Vellem deinde non omiſiſſet *Rufium Voluſianum* annis 310, 313, 314 ex anonimo apud Bucherium (*a*), & Theodoſiani Codicis legibus Urbi Praefectum.

(*a*) Buch.de Doct. Temp. p.238.

310. *Maxentio III. Conſ.* v. *Kal. Novemb. Rufius Voluſianus P.U.*

313. *Conſtantino III. & Licinio III.* VI. *Id. Decemb. Rufius Voluſianus P.U.*

314. *Voluſiano & Anniano. Rufius Voluſianus P.U.* Haec ex Anonimo. Ad Voluſianum P.U. data eſt *lex* 1. *de Naviculariis* 14. Kal. Apr. & *lex unica de Ingenuis* 8. Kal. Maj. utraque Voluſiano, & Anniano Conſulibus anno ſcilicet 314. Voluſianus hic, a priori diverſus ſane eſt, neque enim ſubſcribam Gothofredo (*b*), & Pagio, unum eumdemque Voluſianum Praefecturam Urbi, & Conſulatum anno 314. geſſiſſe. Quis vero Voluſianus ille ſit cui Urbi Praefecturam gerenti inſcribitur *Lex* 2. *quor. appell. non ſuſcip.* v. Kal. Martias Conſtantino Aug. IV. & Licinio IV. Conſ. anno ſcilicet 315. idemne, qui anno ſuperiori, an alius ignoro.

(*b*) Gothofr.Cod. Theod T.v. p.25. Pagius ad n.314.

Tertio conſultius fuiſſet Ariolum non agere. Melania, quae impubere filio Praetori Urbano, non Praefecto Urbi, relicto Roma diſceſſit, anno uti auctori placet ex Hieronymi Chronico 373., uti Pagius mavult an. 371. exeunte, uti Tillemontius (*c*) contendit an. 366. Melania inquam illa, non Albinae filia, ſed ſenior Melania fuit Marcellini an. 341. Conſulis neptis, qua in Oriente commorante filius, quem ex Palladii hiſtoria Lauſiaca *Publicolam* nuncupatum fuiſſe Tillemontio, aliiſque non diſſentientibus collegit Chiffletius, Filius inquam Romae relictus Albinae Voluſiani filiae nupſit, ex qua Melaniam juniorem anno 382. ut Tillemontio placet, ſuſcepit, quae anno 395. nupſit Piniano, quem perperam *Paullius* Albinae maritum ſtatuit. Adde quod Melaniam Paulinus Nolanus (*d*) impenſe laudat, quod *in magna potentiſſimorum, & clarorum propinquorum Romae copia nemini parvulum ſuum verbo ut dici ſolet, alendum erudiendum tuendum, mandare dignata eſt*, quae profe-

(*c*) Till.Mem.Eccl. To.x.In Mel.not.2.

(*d*) Paul.Nol.ep.[illegible]

Hh ... cto

ĉto Paulinus non dixiſſet, ſi Melania filium proavo reliquiſſet. Sanĉta igitur foemina, quae familiam, bona omnia, ut Deo liberius vacare poſſet, deſerebat, puerum veluti pupillum Romae reliquit; noverat enim, Praetori Urbano pupillorum curam commiſſam, atque ab eo Tutores dari iis, quibus aut non dediſſent parentes, aut ſi dediſſent, abſentes eſſent, nec redire poſſent.

Poſtremo Rufium Voluſianum Aſiae Vicarium eum eſſe, qui anno 417. Urbana praefeĉtura funĉtus eſt, non ſatis perſuadet. Nam ſi Voluſianus iſte, ut vir doĉtus ſtatuit Albinae frater fuit, & Melaniae junioris avunculus, cum hic Placidiae Auguſtae legatus an. 436. vel 437. Conſtantinopolim profeĉtus ſit, legationem hanc anno aetatis ferme centeſimo obierit neceſſe eſt. Patet id opinor. Valentiniano enim ſeniori, Seniori inquam, Junior enim Gratiani frater natu minor priori loco nequaquam illa in baſi poſitus fuiſſet, ut ii facile intelligunt, qui Auguſtorum monumenta callent; Valentiniano inquam ſeniori, & Gratiano Imperatoribus Taurobolium poſt annos xx. iteravit Voluſianus, ante annum ſcilicet 376. ſerius enim fieri non poterat, quando Valentinianus I. anno obiit 375. xv. Kal. Decemb. Ab hoc igitur anno quo Voluſianus Vicarius Aſiae annum agebat aetatis 35., ut minus, ſi ad annum 436., quo Conſtantinopolim petiit, rationes inieris, anni erunt ſexaginta, quibus ſi annos addas 35. Voluſianus anno 96. legatus Roma profeĉtus eſt, quod non ſatis credibile eſt. Illud etiam accedit, Cecinam Lollianam Voluſiani Aſiae Vicarii matrem Ethnicam fuiſſe, & Iſidis Sacerdotem, ut aperte docet allata inſcriptio, quam ſi attentius legiſſet auĉtor, Iſidis Sacerdotium filio nequaquam tribuiſſet. At Voluſiani Albinae fratris matrem Catholicam fuiſſe, & religioſiſſimam foeminam teſtis eſt luculentiſſimus Auguſtinus iis in litteris quas ad Voluſianum ſcripſit: *De ſalute tua, quam & in hoc ſaeculo, & in Chriſto eſſe cupio ſanĉtae matris tuae votis, ſum fortaſſe etiam ipſe non impar* (a) = *Sanĉtam & in Chriſto digniſſime honorandam matrem, cujus pro te Deus*

preces

(a) Aug. ep. ol. 1.

preces exaudiat, *pro meritis veſtris officioſiſſime ſaluto* (*a*). His igitur animadverſis Voluſianum Albinae fratrem, alium ab eo, qui Taurobolium Valentiniano, & Gratiano Auguſtis iteravit, eſſe ſtatuo, & Rufios Voluſianos Saeculo IV. & V. conſpicuos, quorum tempora ex Faſtis, vel ex legibus certo cognoſcimus ſic melius proponi poſſe arbitror.

I. *Rufius Voluſianus* quem in Africam contra Alexandrum Tyrannum miſit Maxentius: *Haec cum Maxentius haberet in animo*, inquit Zoſimus (*b*), *res Africanas prius conſtituendas duxit. Itaque coactis hominum copiis, eiſque dato duce Rufio Voluſiano Praetorio Praefecto in Africam illas tranſmiſit &c.* Alexandro devicto Conſul fuit anno 311. non ſuffectus, ut perperam Rheineſius, ſed ordinarius, atque iterum 314.

II. Rufius Voluſianus Praefectus Urbi an. 314.

Horum alter Praefectus Praetorio anno 321. ex Conſtantini lege 1. *de Medic.* ad Voluſianum P. P. data Criſpo, & Conſtantino Coſs. ſi modo inſcriptio illa legitima ſit, quod hic inquirere non vacat, nec tanti eſt.

III. *Cejonius Rufius Voluſianus* Philoſophus, quem non bene Noriſius Albinae patrem exiſtimavit. Idem fortaſſe, qui *Corrector Italiae per annos octo*, Urbi Praefectus anno ni fallor 336., quo *Rufium Albinum P. U.* apud Anonymum Bucherianum invenio, *Conſul* an. 335. *Judex S. C. &c.*

IV. *Voluſianus* Praefectus Praetorio dicitur lege 2. *de his qui per metum Judic.* data Kal. Januar. Arbetione & Lolliano Conſ., tum lege 26. *de appellat.* data IV. Kal. Aug. iiſdem Conſulibus, anno ſcilicet 355. Eumdem Vicarium Urbis nominat lex 2. *de inceſtis nuptiis* data Romae prid. Kal. Maj. Arbetione & Lolliano Coſ. Quem eſſe dicam? Ex ſuperioribus quempiam, an alium ab iis diverſum? Primum magis placeret; vereor tamen ne perperam ex ſolo *Voluſiani* cognomine, quod non una Cejoniorum Rufiorum gens uſurpavit, dignitates plures, in eamdem familiam, atque in unum eumdem-

(*a*) Id. ep. el. 3.

(*b*) Zoſimus lib. II. c. 14.

que hominem congerantur. Hinc ſi quis Voluſianum hunc alium a ſuperiori eſſe velit, non temere fortaſſe illum eſſe dicam, qui in Gruteriana baſi ſupra allata, ex Praef. Praet., atque ex Praef. Urbi dicitur, quarum dignitatum priorem hoc anno, alteram an. 335. geſſerit, quo Rufius Albinus P. U. dicitur, apud Anonymum: at haec ariolatio magis quam conjectura.

V. *C. Cejonius Rufius Albinus Voluſianus* duplici Urbis Praefectura inſignis altera an. 364. altera an. 373. quod Paullius recte ſtatuit. Idem fortaſſe, qui Praef. Praetorio dicitur leg. 5. *de precibus Imp. Offer.* ubi tamen legendum *Voluſiano P. U.* contendit Candidus Adiniva Grananeſius (*a*). Plures ſane Codicis leges video inſcriptas *Voluſiano P. U.*, *l.22. de curſu publico* datam 12. Kal. Mar. *l.* 18. *de Praetor.* & 67. *de Decurion.* datas 11. Kal. Jul. Ibidem etiam Voluſianum Vicarium Urbis lego, eique inſcribitur *lex 3. de Calc. coctor.* data 8. Id. Aug. Quae cum attente conſidero, ſubit illa dubitatio, an ſatis firma argumenta, ex his legum inſcriptionibus deſumi poſſint, ut ſummorum in Imperio virorum dignitates & tempus certo ſtatuantur. Nec eorum diſplicet conjectura, Gothofredi ni fallor, qui putant horum aliquos dum Urbi Praefectura fungebantur, Vice Vicarios Urbis, aut Praef. Praetorio fuiſſe, vel contra. Sic Sex. Varium Marcellum Vice-Praefectum Praetor. & Urbi vidimus inſcriptione XXIX. & XXX.

(*a*) Apud Almel. in Faſt. p. 668.

VI. *Cejonius Rufius Voluſianus* Vicarius Aſiae qui circa annum 375. Taurobolium iteravit, anno vero 390. Valentiniano Jun. IV. & Neoterio Coſs. Aram conſecravit.

VII. *Rufius Venerius Voluſianus* Urbi Praefectura anno functus 417. uti ex Rutilio recte Scaliger, aliique colligunt. Hunc Rutilius (*b*), qui eidem Itinerarium ſuum inſcripſit Albini filium fuiſſe dicit, illius fortaſſe, qui duplicem Urbis Praefecturam geſſit, & quinto loco nominavi. Africae Proconſulem, & deinde Quaeſtorem Candidatum, ſunt qui eum fuiſſe velint, ait enim Rutilius,

(*b*) Rutil. Itinerar. lib. 1. l. c.

Hujus

Hujus facundae commiſſa palatia linguae
Primaevus meruit Principis ore loqui
Rexerat ante puer populos Proconſule Poenos
At qualis Tyriis terror amorque fuit (*a*).

recte ne an ſecus alii viderint: diſplicet Quaeſtura poſt Proconſulatum geſta, ſi modo Quaeſtorem priora illa duo carmina indicant. Qui cum Burmanno pro *Puer* tertio verſu *pater* legerit, is nodum ſolvet, ſed non vacat haec diligentius examinare.

(a) Id. n. 174.

VIII. Voluſianus Conſtantio Auguſto anno 421. Urbi Praefectus, ad quem extant ejuſdem Auguſti litterae contra Pelagianos,

Imp. Fl. Conſtantius Pius Felix Aug. Victor
Voluſiano Praefecto Urbi.

Conſtantius Honorii ſororis maritus, anno 421. Id. Febr. ut recte Noriſius, Pagius, Tillemontius (*b*) ſtatuerunt *Auguſti* titulum ab Honorio obtinuit, eodemque anno 2. Sept. obiit. Hinc errant, qui Voluſiani Praefecturam ab hoc anno removent. Hunc eumdem eſſe cum Praefecto anni 417. nonnulli arbitrantur, quibus ego libentius ſubſcriberem: at U. C. Eduardus Corſinius (*c*) alium eſſe putat, & Rufium Antonium Agrypnium Voluſianum nominat, ex Gruteriana hac inſcriptione (*d*)

(b) Nor. Hiſt. Pel. I. c. xx. Pagius Crit. Bren. ad a. 420. Tillem. Emp. Tom. iv.

(c) Corſin. de Praef. Urb. p. 341. 343.

(d) Grut. p. 193. 10.

RVFIVS ANTONIVS AGRYPNIVS VOLVSIANVS VC.
PRAEF. VRBI ITERVM VICE SACRA IVDICANS CVRAVIT

duplici Urbi Praefecturâ illuſtrem. Harum priorem anno ſtatuit vir doctus 421. alteram vero 434., putat enim Voluſianum hunc Agrypnium Avunculum fuiſſe Melaniae Junioris, qui Conſtantinopolim anno quo *creatus erat Praefectus Romanae Civitatis* appulit, ut in ejuſdem Melaniae vita narratur; appulit autem ex Baronio anno 434. Serius tamen collocanda erit altera haec Agrypnii Voluſiani Praefectura, ſi is Melaniae avunculus ſit quod non mihi facile perſuadeo, atque anno fortaſſe 436. Cum enim, ut Pagius oſtendit (*e*), Melania Conſtantinopolim

(e) Pagius Crit. ad an. 434.

polim proficiſci neutiquam potuerit citius anno 437., neque ulla cauſa ſit, cur exiſtimemus Voluſianum triennio vel biennio Conſtantinopolim commoratum fuiſſe, antequam Sororis Filiam Hieroſolymis arceſſeret Conſtanti nopolitanum Voluſiani iter & Romana Praefectura an.436 contigiſſe videtur. Ut ut ſit, non enim deſunt, quibus Praefectura haec Legati Placidiae Auguſtae ſuſpecta ſit (*a*) Melaniae avunculus, cujus extat ad Auguſtinum epiſtola, atque Auguſtini ad eumdem litterae duae, ejuſdem Melaniae precibus, atque hortatu ſacrum Baptiſmatis lavacrum a Proclo Urbis Patriarcha ſuſcepit, & Chriſtianus, & Fidelis quod & Mater Sanctiſſima femina, & Auguſtinus diu optaverant, ibidem obiit.

(a) Tillem. T. xiv. p. 250.

Anno 428. & ſequenti Voluſianum, Praef. Praetorio fuiſſe video ex *l. ultimâ de Tyronibus ad Voluſianum*, *P. P.* data v. Kal. Mart. Felice & Tauro Coſs. & ex *l.* 35. *de annon. & tribut.* eidem inſcripta xvi. Kal. Mart. poſt Conſulatum Felicis & Tauri. Quem dicam ignoro: eumne qui anno 417. Praef. Urbi fuit, an quem Corſinius Agrypnium dixit, anno 421. Praefectum?

IX. Fl. Voluſianus Conſul an. 503. Judex an. 504. cum Symmaco, & Decio Patritiis in cauſa Baſilii, & Praetextati. Vereor tamen ut hic ad Ruſios ſpectet, ut enim innuebam, non una Ruſiorum gens *Voluſiani* cognomen ſortita eſt. Petronios, Vibios hujuſmodi cognomine inſignitos video. *C. Vibius Voluſianus Aug.* notior eſt, quam ut hic citari a me debeat, *Petronius Voluſianus* una cum Gallieno Aug. IV. Conſul fuit an. Vulg. Aer. 261. nec alii fortaſſe deerunt.

Voluſianum alterum anno 538. Conſulem exhibent nobis Panvinius, Baronius, Reineſius; at Conſul hic Pagio aliiſque ſuſpectus eſt, atque ex falſa Vigilii Papae Epiſtolae ſubſcriptione deductus; quae enim in optimo Codice Colbertino inſcribitur *Profuturo* Bracarenſi Epiſcopo, ſubſcribitur vero: *Data Romae* iii. *Kal. Jul. Flav. Joanne U. C. Conſule*: in vulgatis & corruptis Codicibus inſcribitur. *Eutherio* Epiſcopo, ſubſcribitur: *data Kal. Mart. Voluſiano, & Joanne UU. CC. Conſulibus.*

Ruſiis

Ruſiis hiſce Voluſianis quorum ex legibus & Faſtis tempora ſtatui non temere poſſunt, addendi I. *Rufius Voluſianus Corrector Campaniae* apud Reineſium (*a*). II. *Flavius Rufius Sabinus Voluſianus Pontif. Minor Vicarius* Aſiae, Caecinae Lollianae Maritus, cujus inſcriptionem ſuperius e Sponio (*b*) protulimus; quae Lolliana alia eſt, uti ſuſpicor a Lolliana Iſidis Sacerdote, quam Gruteriana baſis commemorat, quod ſi quis eamdem eſſe contendat, Voluſianus hic Cejonii Rufii Voluſiani Aſiae item Vicarii frater erit. Poſtremo *Cajus* hic noſter *Rufius Voluſianus Iſidis Profeta*; neque enim ſtatuere auſim ex iis unum eſſe quos ſupra commemoravi, quamquam fortaſſe, ſexto, vel ejus parenti, non temere lapis tribui poſſet. At quiſquis ille fuerit, multiplici Sacerdotio inſignis fuit; ſiquidem, & *Solis Pontifex*, & *Pater*, & *Hieroſanta*, & *Iſidis Profeta* inſcribitur. De *Prophetae* munere aliqua hic dicam, priora enim attigi diſſertatione VIII. unum illud tamen non praeteribo, *Iſidis Hierophantam* habere nos hoc in lapide, quem ſolius Hecates eſse Salmaſius volebat; ſed & Minervae *Hierophantis* apud Plutarcum occurrit (*c*), quo conjecturae noſtrae mirifice confirmantur.

(*a*) Rein.app.omiſ. n.XXII.

(*b*) Grut.pag.193. n.10.

(*c*) Plutar. in Syll. T.III. p.63.

Prophetas apud Aegyptios invenio myſticae Philoſophiae magiſtros, auctore Clemente Alexandrino (*d*): *Thales autem cum eſſet Phoenix genere etiam cum Aegyptiorum Prophetis congreſſus eſſe dicitur, ſicut etiam Pythagoras, cum iis ipſis, per quos etiam fuit circumciſus, ut adyta ingrediens Aegyptiorum myſticam diſceret Philoſophiam . . . narratur autem Pythagoras fuiſſe diſcipulus Soncbedis Archiprophetae Aegyptii*: Eoſdem ſacrarum rerum Praefectos fuiſse teſtatur idem Clemens (*e*): *Propheta, cum ſit ſacrorum Praefectus ediſcit libros X, qui vocantur Sacerdotales, continent autem de Legibus, & de Diis, & univerſam Sacerdotum diſciplinam. Propheta enim apud Aegyptios praeeſt etiam diſtributioni vectigalium*. Aegyptiorum Prophetas Laertius quoque commemorat; pſeudo Clemens (*f*), Macrobius, aliique veterum Scriptores. Inve-

(*d*) Clem. Alexan. Stro. I. n.15.

(*e*) Id. Strom. lib. VI. n.4.

(*f*) Laer. in Proem. Clem. Recog. lib. 4. n.5. Macr. Sat. VII. cap. 13.

(a) Pollux Onomaſt. lib. I. c. I. n. 16.

Invenio apud Graecos οἱ δὲ τῶν θεῶν θεραπευταὶ, inquit Pollux (a), ἱερεῖς, νεωκοροι, ζακοροι, ΠΡΟΦΗΤΑΙ, υποφηται, θυται &c. Nec Latinis ignoti fuere, lego enim apud Feſtum: *Prophetas dicebant veteres, Antiſtites Fanorum, & Oraculorum interpretes . . . . Julius in Adraſto*

Cum capita viridi lauro velare imperant
Prophetae ſancta caſte, qui purant ſacra.

At quantum conjectura aſsequi poſsum, non quicumque fanorum Antiſtites apud Latinos & Graecos Prophetae nuncupati ſunt; ſed ii, qui templis praepoſiti, ubi oraculum quodpiam eſset, Dei oracula, & reſponſa canebant; ex genuina ſcilicet vocis hujus ſignificatione, qua προφῆτης is proprie dicitur, qui futura pronunciat (1) προφῆτας a φημι dico, & προ, ante, ut Grammatici norunt. Video enim προφητιν dici Delphici Templi Antiſtitam apud Euripidem (b), & Dodonae apud Strabonem (c). Προφητας Jovis Ammonis Sacerdotes apud Lucianum (d), Antinoi apud Euſebium, & Gruterum (e) merito, namque horum in templis oracula fundebantur. Apollinis apud Delphos, Dodonae in Theſprotis, Ammonis in Lybia Oracula notiſſima ſunt. Antinoi oraculum habes apud Spartianum (f): *Graeci quidem volente Hadriano*, Antinoum, *conſacraverunt*, *oracula per eum dari aſſerentes*, *quae Hadrianus ipſe compoſuiſſe jactatur*. Hujuſmodi Oraculum non in Aegypto ſolum, ubi Antinous obiit, ſed apud Tharſenſes etiam fuiſſe ex eorumdem numo docte collegit Bonarrotus (g). Hinc etiam Apollo, quod Jovis oracula proderet, Διος προφητης ab Aeſchylo dicitur (h).

Διος προφῆτης δ' ἐςι Λοξιας Πατρος

ex quo illa Virgilii (i)

Quae Phoebo Pater omnipotens, mihi Phoebus Apollo
Praedixit,

deſumpta, ait Macrobius (k). At illud quaeret fortaſſe quiſ-

(b) Eurip. Ion.
(c) Strab. lib. VII. p. 329.
(d) Luc. Dial. Mor. D. 13. n. 1.
(e) Euſeb. H. E. IV. 6. Grut. p. 86. n. 1.
(f) Spart. in v. Hadr.
(g) Bonar. Med. p. 38
(h) Aeſchyl. Eum. v. 19.
(i) Virgil. lib. III. Aen.
(k) Macrob. Sat. V. c. ult.

(1) Non omnes hic perſequor vocis hujus ſignificationes, illud quod propius ad inſcriptionem noſtram ſpectat, attingo.

quiſpiam, an iidem recte *Oraculorum interpretes* dicti ſint; non enim deſunt, qui non ipſos, qui Oracula edebant, ea interpretatos volunt, ſed eorum hanc ajunt fuiſſe curam, qui ὑποφῆται nominantur, quos inter Sacros Miniſtros recenſet Pollux, & quorum meminit Homerus (*a*), ubi Scholiaſtes vetus ὑποφήτας, inquit, *appellant eos, qui occupantur circa oracula, & vaticinia, quae eduntur a Sacerdotibus offerunt*. Fuiſſe iis in Templis, quorum nuper meminimus miniſtros, qui Oracula a *Prophetis* edita interpretarentur ex Euripide inferri merito poteſt; ſic enim apud eum Ion loquitur (*b*).

(a) Hom. Il. ϖ.

(b) Eur. Ion. v. 90.

Θασσει δὲ γυνὴ τρίποδα ζαθεον
Δελφὶς ἀείδϐσ' Ἕλλησι βοας.
Ἃς ἂν Ἀπόλλων κελαδήσῃ
Ἀλλ' ὦ Φοίβϐ Δελφοι θέραπες
Τὰς Κασαλίας αργυροειδεις
Βαίνετε δινας καθαραῖς δὲ δροσοις
Ἀφυδρανάμενοι ςείχετε ναὺς.
Στομα τ' εὔφημον φρϐρεῖτ' αγαθὸν
Φημας τ' αγαθὰς τοῖς ἐθελϐσι
Μαντευεσθε
Γλωσσης ἰδίας ἀποφαίνειν.

Mulier vero ſedet ſupra *ſacrum Tripodem*
Delphica canens Graecis oracula
Quae Apollo illi dederit.
Sed o Delphici Phoebi Miniſtri ad
Caſtaliae limpidos
Ite Vertices, puroque rore
Abluti, ite in Templum
Oſque bene ominans, & bonum
Cuſtodite
Omniaque laeta cupientibus
Oracula conſulere
Propria lingua exhibentes & interpretantes.

Qui Poetae locus, eos qui oracula interpretabantur a Pythia muliere, quae oracula edebat, aperte diſtinguit. Ὑποφήτας igitur Delphis, aliiſque in Templis fuiſſe, quo-

rum illud munus, ut oracula a Profeta edita interpretarentur, negare nolim; ex hac tamen inſcriptione noſtra ſtatui poſſe arbitror *Prophetas* etiam eos nuncupatos, qui edita a Diis oracula interpretarentur. Non enim uſpiam legimus, quod ſciam, Iſidem Templa habuiſſe ulla, in quibus Sacerdos, uti Pithia Delphis, ejus numine afflata oracula caneret. Sed ipſa Dea, iis qui ſuo in templo ad oracula captanda incubabant, reſponſa per noctem in ſomnis dabat. His explicandis, quando obliqua ſaepe, & in utramque partem propoſitae quaeſtionis inflexa, Sacerdotes praepoſiti erant, iique *Prophetae* nuncupabantur, quorum unus Romae, ut arbitror, ubi Iſidis & Templa, & Cultus, Rufius hic Voluſianus.

Ex hoc eodem genere Cretenſes illos Jovis *Prophetas*, quos commemorat Porphyrius (*a*), fuiſſe auguror, ſi tamen ulli fuere hoc nomine apud Cretenſes Sacerdotes. Suſpicor enim de ſuo hoc illis nomen tribuiſſe Porphyrium. Euripides enim, ex quo Prophetas hoſce profert, & cujus verſus citat Porphyrius, eos *Myſtas* appellat (*b*).

(a) Porph. lib. IV. de Abſt.

(b) Eurip. Κρητ.

> Ἀγνον δε Βιον τεινομεν ἐξ ȣ
> Διος ἰδαίȣ ΜΥΣΤΗΣ γενομεν.
> *Puram uitam ducimus, ex quo*
> *Jovis Idaei Myſtes ſumus.*

At quidquid ſit de Cretenſibus Prophetis, hujuſmodi fuit Cumes ille Serapidis Propheta, cujus meminit Graeca inſcriptio apud Gruterum (*c*); nam Serapidis Oracula hoc pacto petita ex Strabone diſcimus (*d*): *Canopus* cxx. *ſtadiis diſtat ab Alexandria: habet Serapidis Templum religioſe cultum, ut etiam nobiliſſimi viri ei credant, & pro ſe, vel pro aliis inſomnia ibi captant; ſunt qui curationes conſcribant, quidam virtutes editorum oraculorum.* Alexandro aegrotante quoſdam illius duces in Serapidis Templo incubaſſe narrat Arrianus (*e*). Nec aliter aut Paſitheae apud Lacedemonios, aut Fauni apud Italos oracula petebantur, quorum alterum ex Cicerone diſces (*f*), alterius teſtis eſt Virgilius (*g*).

(c) Grut. p. 314. n. 2.

(d) Strabo lib. XVII

(e) Arrian. de Exp. Alex. lib. VII. n. 26.

(f) Cic. Div. I. n. 96

(g) Virg. VII. Aen.

At Rex

At Rex ſollicitus monſtris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit, lucoſque ſub alta
Conſulit Albunea . . . .
Hinc Italae gentes omniſque Oenotria Tellus
In dubiis reſponſa petunt, huc dona Sacerdos
Contulit, & caeſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis ſomnoſque petivit.

Hinc illae in veteribus monumentis Serapidis praeſertim atque Iſidis, illae inquam formulae *ex viſu*, *ſomno monitus &c.*

INSCRIPTIONES

CHRISTIANAE.

LXXXVI. ΑμμΙΑΝω Τω ΑΔЄλφω
μЄΝЄΚΛΗC
μΝΗμΗC ЄΝЄΚЄΝ

In Coem. S. Hermetis.

LXXXVII. ANTILOCO PINCERNAE (1)
 Q. V. A. XXX

In Coem. S. Saturnini,

PINCERNAE. Pocillatoris officio functum Martyrem hunc ſuſpicari licet; *Pincerna* enim Graeco e fonte deducta voce menſae miniſter nuncupatur, qui vinum convivis praeberet, quem *ad Cyathum* dixit Horatius (*a*) (a) Hor.od.29.l.1.

Puer quis ex aula capillis
Ad Cyathum ſtatuetur unctis.

[1] Una cum Martyris Corpore in Sacellum Albanae Villae, translata.

(a) Apul. lib. 2. pag. m. 111.
(b) Pign. c. 11. p. 62.
(c) Mur. p. 305.
(d) Id. p. 899. n. 6.

Pocillatorem Apulejus (*a*) *a Potione* vetus lapis apud Pignorium (*b*) *a Bibendo* lapis alter apud Muratorium (*c*) *a vinis Caeſ.* N̄. lapis tertius apud eundem (*d*). Inter Auguſtae Domûs Miniſtros novimus Chriſtianos plures fuiſſe, qui Aulae muneribus fungerentur; novimus Senatores alioſque Imperii Principes viros, ſua in familia Chriſtianos ſervos numeraſſe; ex horum numero aliquem fuiſſe Antilochum hunc arbitror, fuſo pro Chriſto Sanguine glorioſiſſimum.

LXXXVIII.

AVRELIA SIRICE QVAE VIXIT
ANN. XXXI. MENSIS III. D. XVI
FECIT. AVRELIVS PRIMVS CO
IVGI SVAE DVLCISSIME BENE
MERENTI. IN. PACE.



In Bib. Tyroc. S. J.

LXXXIX.

AVRELIA SVCES
SA FECIT FILIO
BENE MERENTI
ſic
QVI VIXIT ANOS VII

In Coem. S. Hermetis.

(e) Mazoch. de Hilari Epitaphio.

Tabulam hanc loculo ſuo avulſam atque in Coemeterii angulo jacentem exſcripſi; hinc licet Chriſtianum titulum ſuſpicer, affirmare tamen non auſim. Neque enim placet cum Mazzochio (*e*): *Benemerentis* epitheton, inter Arcanas Chriſtianorum voces referre: *Supervacaneum eſt*, inquit V. Cl., *de Benemerentis epitheto exempla huc afferre, quum vix ulla Chriſtiana Epigraphe reperiatur, in qua defuncto non id adjunctum tribuatur.*

tur . Ut vel ſi nulla Chriſtianiſſimi nota in Sepulcralibus titulis reſideat , uno tantum expreſſo Benemerentis elogio pro Chriſtianis habeantur . Verum de ſignificatione nihil vidi ſcriptum . Sane vero nemo dubitat quin ſit epitheton Chriſtianorum Διοριςικον . *Videtur ergo ad merita* Theologica *ea vox referri , eoque pertinet illud apud Rheineſium* Cl. xx. *num.*102. , *pro Innocentiâ ſua Benemerenti , id vero clarius percipitur , ex adjuncto plerumque pacis vocabulo in hunc modum Benemerenti in Pace : nam pax etiam religioſo ſignificatu ſumitur* : Non aſſentior Clariſſimo doctiſſimoque Viro . Chriſtianum hominem in his Titulis , qui *Benemerenti in Pace* inſcripti ſunt , ultro agnoſco , *Formula enim haec Liturgica procul dubio eſt* , inquit Lupus (*a*) , & ad arcani diſciplinam ſervandam ſine reliquis appoſita , nempe *In Pace ſuſcipiat te Chriſtus* . Hinc inter Chriſtianas recenſeo inſcriptiones illas , in quibus formula haec occurrit. Neque tamen ita Chriſtianorum propriam fuiſſe vocem hanc ſtatuo , ut non etiam ab Hebraeis uſurpata fuerit. Eorum id monumenta teſtantur, quorum aliqua Fabrettus , aliqua Lupus protulit , illis haec adjungimus ex ſchedis Marangonii , qui illa , ex Hebraeorum Coemeterio extra Portam Portuenſem eduxit ; non enim hujuſmodi lapides in Chriſtianorum Coemeteriis reperiuntur .


(a) Lup. l. c. p. 175.

ЄΝΘΑΔЄ Κα	Hic jacet
ΤЄ. ΑΥΡΗλΙΑ	Aurelia
ΖΟΤΙΚΗ ЄΠΟ	Zotica Epo
ΦΡΟΝΤωΝ ЄΓΓΟ	phronton Nepos
ΝΟϹ. ЄΠΟΙΗϹЄΝ	fecit
ЄΝ ЄΙΡΗΝΗ. ΗΚΟΙ	In Pace dormitio
μΗϹΙϹ ΑΥΤΗϹ	ejus.



LOCVS

LOCVS BELLVLE

QVIEC  ET IN PACE

At Epigrammata illa, ubi ſola haec legitur vox *Benemerenti*, ut Chriſtiana agnoſcam, numquam efficiet Mazzochius, ſexcenti enim ſunt Ethnicorum lapides, in quibus vox illa occurrit.

XC. EφELIA
EP
BITAΛIE


Ibid.

EP. Lego EPεξε *fecit*. Addenda haec Sigla iis, quas Maffejus, Corſinius, Placentinus

. . . . *cartis*
Doctis Juppiter, & laborioſis

collegerunt, atque illuſtrarunt. Niſi ſi quis EP. pro EΠ. Єποιησε a quadratario oſcitante exſculptum velit.

XCI. IN ☧ BICTRIX Q.— . . .
QVAE VIXIT ANI . . .

Ibid.

Lego *in Chriſto Victrix Quieſcas*, vel *Quieſcit*. Verbum hoc miſere in Chriſtianis Lapidibus deformatum,

tum, iamdiu viri docti obſervarunt, aliorum exemplis, adde lapidem hunc ex Schedis Marangonii.

IANVARIO DIGNO FILIO
PARENTES FECERVNT
QVI VIXIT ANNIS VI
QVAESCIT IN PACE AETERNA

Monogramma alterum in hoc lapide non circulo, uti perperam caelator expreſſit, ſed arcuato quodam loculamento incluſum eſt.

XCII. HIC REQVIESCIT INP IFA
QVI VIXIT ANN PM LXX
DEPOSITA EST IN PC
XVI KAL IAN. SVMMA
CO ET BOETIO CC. VV



In Palatio Principis Praeneſtini.

IFA. Latine dicitur, opinor, quae Graece ΙΦΙΣ nominatur. Quincti Aurelii Anicii Symmachi, & Anicii Manlii Severini Boethii conſulatu inſignis eſt annus Aerae Vulgaris 522. De utroque Conſule ita Sirmondus in notis ad Ennodium (a): *Mihi certum eſt Symmachum, & Boethium Conſules anno 522. Boetii Anicii Manlii Severini filios fuiſſe, illos inquam, de quorum ipſe Conſulatu lib. 2. De Conſolatione ſcribit his verbis = Quum duos pariter Conſules liberos tuos domo provehi ſub frequentia patrum, ſub plebis alacritate vidiſti, . . . Quid dicam liberos Conſulares, quorum jam, ut in id aetatis pueris, vel paterni, vel aviti ſpecimen elucet ingenii.*

(a) Sirm. in not. ad Ennod. lib. VIII. ep. I.

XCIII.

XCIII.

IVLIAE LEAE BONAE FEMINAE QVAE VIXIT ANNIS
PLVS MINVS XXXIII. ET FECIT CVM MARITO SVO AN. XIII
IVLI SEPTIMO CVM PACE. ET IDONEA SEMPER

XCIV.



Interamnae elapſis annis reperta fuit, atque illinc ad me miſſa, legi, *Maledictionem Dei habeat, qui in iſtud ſepulcrum miſerit aliquem excepto Urſo, & Muliere ſua*. Non Ethnicos ſolum, ſed Chriſtianos etiam ea tetigit cura, ut cinerum ſuorum quieti proſpicerent, aliis ſuo e tumulo excluſis. Hinc dirae, & excrationes in ipſa ſepulcri epigraphe, quae audaces ſepulcrorum violatores deterrerent. Earum plures, apud Fabrettum (*a*), alioſque, veterum titulorum collectores invenies.

(*a*) Fabr. c. 11. pag. 120.

MVEM. Legi *Avea* pro *Abea*; neque enim dubito quin primum, atque ultimum elementum litteram A exprimant. *Abea*, porro pro *Abeat*, vide in hoc tituli cujuſdam fragmento apud Fabrettum (*b*).

(*b*) Ib. l. c.

ET. SI. QVIS. SE. PRESVMPSERIT
CONTRA HVNC TVMVLVM
MEVM VIOLARE. ABEA. INDE
INQVISITIONEM ANTE TRIBV
NAL. DNI. NRI.

MV-

MVLIERE SVA. Uxore nempe, quo ſenſu hanc vocem uſurpaſſe Modeſtinum notant lexicographi. Eodem ſenſu in hac altera inſcriptione

(a) DIIS MANIBVS
AEMILIVS CELSVS VIXIT
ANNIS. XXV. H. S. E. S. T. T. L. (1)
IVLIA. HONORATA. MVLIER. SVA
MONVMENTVM FECIT

(a) Nov. Flor. an. 1763. col. 99. 100.


Sic apud Graecos Γυναῖκα pro Γαμετὴν frequentiſſime invenies non in lapidibus ſolum & poetis; ſed apud Hiſtoricos etiam atque Oratores.

XCV. ONESIMENI DVLCISS . . . .
TE IN PACE

In Coem. S. Hermetis.

XCVI.

PEREGRINA VIXIT



ANN XIIII

In Palatio Principis Praeneſtini.

Chriſti monogramma recta Cruce non decuſſata occurrit in aliis etiam lapidibus, quorum nonnullos habes apud Fabrettum (b). Circulo hic includitur, Trigono apud Fabrettum in Titulo Eraclii Cuſtodis Carinarum (c).

(b) Fabr. c. VIII. n. XXXVIII. p. 563 n. LXXIX. pa. 580. n. LXXXV. p. 581.
(c) Ib. n. 151. p. 573



Kk XCVII.

(1) *Hic ſitus eſt ſit Tibi Terra levis.*

XCVII. PRIMUS A ET LEONTIA D SE VIVOS
FECERUNT SIBI LOCUM ET HA *ſic*
BENT D IN SE ANNOS SEX D OVI *ſic*

In Coemet. S. Hermetis.

HABENT IN SE. Lego *Habent in Se*, nempe *vixere ſimul annos ſex*: ita apud Fabrettum (*a*), *in ſe feceruut* eodem ſenſu, ut vir doctus interpretatur.

(*a*) Fabr. cap. IV. pag. 273.

XCVIII. .... TATA PALLADIO EXORC

Ibid.

EXORCiſtae. Tres tantum Exorciſtas in antiquis Chriſtianorum lapidibus invenio, *Flavium Latinum*, qui annis XII. Exorciſtae munere functus dicitur; & *Januarium*, apud Gruterum (*b*): tertium *Macedonium* apud Muratorium (*c*), accedit ex hoc noſtro Lapide quarto loco *Palladius*, ut lapidum ipſorum teſtimonio impudentiſsima Calvini mendacia refellantur, qui de Exorciſtis Catholicae Eccleſiae ait (*d*), *Exorciſtas, ad quem tandem finem conſecrant? audio Judaeis ſuos fuiſſe Exorciſtas, ſed ab exorciſmis dictos video, quos exercebant. De ementitis iſtis Exorciſtis quis unquam fando audivit? Quod ſpecimen ſuae profeſſionis ediderunt? Fingitur ipſis poteſtas data imponendi manus ſuper Energumenos, & Daemoniacos; Sed ipſi ea ſe poteſtate praeditos Daemonibus perſuadere non poſſunt &c.* Exorciſtas habes non ſemel apud Cyprianum, habes in Epiſtola Cornelii Papae ad Fabium Antiochenum, ubi Romanae Eccleſiae Clerum recenſens Exorciſtas, & Lectores cum Oſtiariis quinquaginta duos enumerat (*e*). Ethnicorum Exorciſtas, perperam ex Tertulliano (*f*) a Gothofredo exſculptos, recte me judice rejicit Mazzochius

(*b*) Grut. p. 1054. n. 1060. 9.
(*c*) Mur.
(*d*) Cal. Inſt. lib. IV. c. 19. §. 24.
(*e*) Corn. Pap. Ep. apud Coutant. pag. 150.
(*f*) Tertul. de Idol. c. XIX.

zochius (*a*). Nam Tertullianus in Thurarios Chriſtianos thura ad Sacrificia vendentes, invehitur, ubi ait: *qua conſtantia*, Thurarius hujuſmodi, *exorcizabit alumnos ſuos* (1), *quibus domum ſuam*, *Cellarium*, Thuris, *praeſtat*.

(*a*) Mazzochius in Kal. Neap. p. 479.

XCIX.

PRISCILLIANO. FRATRI. BENE. MTI. IN. CE
QVIXIT. A. XXXIII. M. IIII. (2)

C. RIGINE VENEMERENTI FILIA SVA FECIT
VENE RIGINE MATRI VIDVAE QVE SEDIT
VIDVA ANNOS 7 LX ET ECLESA
NVMQVA GRAVAVIT VNIBYRA QVE
VIXIT ANNOS 7 LXXX MESIS 7 V
DIES XXVI. (3)




Filiae nomen, quae Titulum Matri poſuit deſiderari hic arbitror, neque enim VENERIGINE hujuſmodi eſſe cenſeo. Sed ſic lego RIGINE BENEMERENTI FILIA SVA BENE RIGINE MATRI &c. V. pro B. uſurpatum ignorat nemo, exempla ex noſtris inſcriptionibus plura ſuppetunt. Hanc ex Marangonii Schedis habeto; ubi *Vibes* pro *Vives*.

PERANIA FORTVNATA
VIBES IN DEO

ECCLESIA. NVNQVA GRAVAVIT. *Eccleſiam nunquam gravavit*. In Eccleſiae matricula Viduas etiam,

quae

(1) *Suos* hic pro ejus, Idoli nimirum quod antea nominaverat.
(2) BENEMerenTI. IN. paCE.
(3) Haec etiam cum Martyris corpore in Sacellum Albanae Villae translata eſt.

quae Eccleſiae ſumptibus alerentur, fuiſſe deſcriptas, norunt Eccleſiaſticarum rerum periti. Viduas cum Thlibomenis plus mille quingentas Romana Eccleſia impenſâ alebat ſuâ circa annum 251. uti ex Epiſtola citata Cornelii Papae diſcimus. Antiochenam Eccleſiam Viduis & Virginibus tribus millibus, & amplius, alimenta praebuiſſe narrat Chryſoſtomus *(a)*. Ea igitur *Riginae* laus quod *Eccleſiam numquam gravaverit*, nempe *de ſuo* vixerit, *de ſuo* inquam, atque uti non temere auguror, *ſuo labore*: quum Viduis & Virginibus nondum e publico annona ſuppeditaretur. Martyrem enim noſtram Conſtantino Magno, cujus lege, & munificentia anno 325. Nicaeno Concilio abſoluto *(b)* Provinciarum Rectores juſſi per ſingulas Civitates Virginibus, & Viduis, & iis, qui divino miniſterio erant conſecrati annonam quotannis praebere *(c)*, antiquiorem fuiſſe ſuſpicor. Illud etiam laudi datum huic Viduae, quod *Univira* tot annos vixerit, quales eſſe Viduas optabat Paulus Apoſtolus *(d)* *Univiras* magno etiam apud Ethnicos in honore fuiſſe animadvertit Fabrettus *(e)*, quibus conceſſum, *ut illis tantum in Sacello, Pudicitiae, tum Patriciae, tum poſtea Plebeiae jus ſacrificandi eſſet, quodque Flaminis Dialis uxor talis foret, itemque ea, quae Fortunae muliebri, aut Matri Matutae coronam imponebat, aut pronuba nubentibus adhibebatur*.

Sed illa ampliſſima, & ſolida Riginae laus, quod Martyr pro Chriſti fide occubuerit.

(a) Chryſ. h. 67. in Math.

(b) Vid. Till. T. IV. Emp. p. 216.

(c) Theod. H. E. l. 1. c. 11.

(d) Paul. ep. 1. ad Tim. V. 9.

(e) Fabr. c. IV. p. 324

CI. VISCILIVS NICENI. COSTAE. SVAE
QVAE FVIT. ANNOR. P. M. XXXI. EX QVIBVS
DVRABIT. MECVM ANNOS XV. FECI IN SE
SI EO. DONO. SIM. EXIBIT. DE SAECVLO
VI. IDVS. IVL. MAMERTINO. ET. NEVITA.

In Coemet. S. Hermetis.

Quid ſibi velit *Viſcilius* iſte cum ait, *Feci in ſe, ſi eo*

ſi eo dono ſim, non aſſequor. An forte *Feci*, hunc nimirum titulum ne conjux mea, *ſine eo dono ſit*; nempe ne careat, hoc amoris mei pignore? Viderint viri docti. Mamertini & Nevittae, qui anno 362. Vulgaris aerae Conſules fuere nomen, & Conſulatum alii Chriſtiani lapides proferunt.

CII. VRANIAE. FILIE DVLCISSIME VRANIVS
PATER. ET. EVTOLMIVS MATER IN PACE

Apud Cuſtodem SS. Reliquiarum.

CIII. ... GINIS ET. MARTIRIS XPI. SVSANnae
... SERGIVS. EPISC. SERVVS SERVORVM DI
... ROVIDENTIAE. SVAE. DIGNATIONE DNS
... T. ECCLESIASTICARVM RERVM DSPEN
... ME QVI VICEM APOSTOLORVM PRIN
... EST. VT. PERAEQVARI DEBEANT. EC
... ENTIAM. SVSTINENTIS. SVCCVRRI

In Bibl. Tyr. S. J.

Suſannam Virginem Martyrio coronatam nullo potiori argumento in dubium revocat Tillemontius (*a*), quam Bedae, Frontoniani, & Allatiani Kalendarii ſilentio. Opponit his Cuperus Bollandianus (*b*) Martyrologium Romanum vetus, Adonem, Uſuardum alioſque Eccleſiaſticarum rerum Scriptores. Accedet jam lapis iſte non omnino contemnendus, quamvis vetuſtiora tempora & Suſannae proxima non attingat. Quo anno poſitus fuerit ſtatuere non auſim: video nec anno citius 687. quo Sergius I. ſedit, nec ſerius anno 1012. quo Sergius nominis hujus quartus, & ultimus defunctus eſt, collocari potuiſſe. De priori ſic lego apud Anaſtaſium (*c*), ſeu quiſquis ille ſit, qui Sergii I. vitam ſcripſit.

(*a*) Tillem. To. IV. pag. 763.
(*b*) Act. SSI T. 41. Aug. p. 624.
(*c*) Anaſt. Bib. Vit. Serg. I. ſect. 158.

pſit. *Hic veniens Romam Adeodato Pontifice inter Clerum Romanae Eccleſiae connumeratus eſt, . . . & Acolythus factus per ordinem aſcendens a SS. memoriae Leone Pontifice in Titulo S. Suſannae, quod ad duas domos vocatur, Presbyter ordinatus eſt*. Lego eumdem Cyborium Baſilicae Sanctae Suſannae, *quod ante ligneum fuerat*, *ex marmore* feciſſe, *diverſa quoque cymilia aurea, & argentea, vel immobilia loca, illic condonaviſſe*. An haec tanti ſint, ut Sergio I. lapis hic tribui poſſit, videant viri doctiores.

VICEM APOSTOLORVM PRIN*cipis*. Plures hujuſmodi formulas, quibus Rom. Pontifex Petri ſucceſsor, & haeres, *Vices* illius agere, atque illius *Vicarius* dicitur, collegit Coutantius (*a*), quî vero intelligendae ſint atque explicandae vide apud Bellarminum (*b*).

(*a*) Cout. Praef. in op. S.PP. p.1.n.13.
(*b*) Bellar. de S. P. lib. 11. c. 17.

CIV. B . . . . . . L . . . BE
COIVGI ASC
FEC
. . . PETE PRO FIL
. . . TER SANCTI . . . . .

Hocce Chriſtiani Tituli fragmentum, e tenebris eruiſſe mihi gratulor. Ut iis plurimis, quibus Defunctorum apud Deum preces pro ſe petiiſſe, atque expoſtulaſſe Veteres Chriſtianos, probare ſolemus, novus accederet teſtis. Sic igitur legi, & ſuppleri poſſe arbitror.

B . . . . BENEMERENTI
COIVGI ASC . . . .
FECIT
ET PETE PRO FILIIS TVIS
VIVAS INTER SANCTIS. (1)

Huic

(1 VIBAS INTER SANCTIS. Lego apud Boldettum (*a*) pro *Vivas inter Sanctos*.

(*a*) Bold. l.1.p.80.

Huic noſtro ſimiles plures apud Bonarrotum, Fabrettum, Lupum, Muratorium, Boldettum invenies, illis adde hunc ex Marangonii ſchedis, a Muratorio quidem evulgatum (*a*), ſed non ad archetypi fidem expreſſum.

(*a*) Mur. pag. 1836. n. 8.

AVRELIVS AGAPETVS ET AVRELIA FELICISSIMA
ALVMNE FELICITATI DIGNISSIMEQVE VICSIT
ANNIS. XXX. ET. VI.
ET PETE PRO CELSINV CONIVGEM

Praeclara haec contra Heterodoxos, qui Catholicae Eccleſiae dogmata ut impugnent, atque evertant ad priora nos, & vetuſtiſſima Eccleſiae tempora provocant, atque in eis, veluti in firmiſſima arce, defenſionis ſuae praeſidia conſtituunt. Videant quam bene rationibus ſuis conſulant, qui nos illuc deducunt, ubi ipſi ſepulcrorum parietes contra ipſos clamant, & eorum errores refellunt. Quam multa porro Chriſtianae Religionis dogmata luculentiſſimo lapidum Chriſtianorum teſtimonio firmentur, norunt qui ſtudia haec minime contemnunt. Non enim imploratae ſolum Obdormientium in Domino preces, ſed Chriſti Divinitas, pro Defunctis preces, Purgatorius ignis, Sanctorum Cultus, & imploratum Patrocinium, *Confirmationis*, quam vocant, Sacramentum, illuſtria habent in lapidibus teſtimonia: horum ſi aliqua hic breviter proferam non ingratum erit, opinor, Catholico Lectori. Atque ut a Chriſti Divinitate exordiar, ad eam comprobandam, luculenti inprimis Graeci lapides duo, quorum prior ex Kircheriano Lupus noſter (*b*), poſterior Boldettus ex Coemeterio Priſcillae vulgavit (*c*).

(*b*) Lupus epit. S. Sever. p. 191.
(*c*) Boldet. lib. 1. c. XIV. n. 58.

ЄΡΜΑΕΙϹΚЄ φωϹΖ	*Ermaiſce Lux Vivis*
ΗϹ ЄΝΘЄω. ΚΥΡЄΙ	*In Deo Domino*
ω. ΚΡЄΙϹΤω. ΑΝΝω.	*Chriſto annorum*
ΡΟΥμ. Χ. μΗϹω.	*Decem Menſium*
ΡΟΥμ. ϹЄΡΤЄ	*Septem*

Ο ΘЄΟϹ

Ο ΘΕΟϹ ΚΑΘΗΜΕΝΟϹ
ΙϹ ΟΕΖΙΑ ΤΟΥ ΠΑΤΡΟϹ
ΙϹ ΤΟΠΟΝ ΑΓΙωΝ ϹΟΥ
ΝΕΚΤΑΡΕΟΥ ΤΟ ΨΥΧΑ
ΡΙΝ ΝΕΤΡΑΨΕ

ο Θεος ο Καθημενος
εις Δεξια του πατρος
εις τοπον αγιων σων
Νεκταρεου το ψυχαριον
ετρεψε

Deus qui ſedes ad dexteram Patris in locum Sanctorum tuorum Nectarei animulam tranſtuliſti.

Huc etiam referendus ſequens Titulus ex Schedis Marangonii

☧ PRIMA.VIVIS.IN.GLORIA.DEI.ET.IN.PACE.DOMINI.NOSTRI ☧

Ex Coemeterio S. Saturnini.

Neque Myſterio vacat Chriſti nomen in Triangulo inſcriptum in hoc altero titulo minio deſcripto ex iiſdem Schedis

MOROI . . . .  APOLLONIVS

ſic
XLFIANO BENE QVIESCENI

Ex eodem Coemet.

quae quidem forma, inquit Arrìnghius, *Trinitatis Symbolum eſt, ob tres angulos, quos una eademque figura continet* (*a*).

Preces pro Defunctis, Purgatorium ignem duo haec confirmant apud Lupum (*b*) epigrammata primum ex Kircheriano.

(*a*) Arringh. l. III. c.22. p.605.

(*b*) Lupus l.c. pag. 137. 167.

KALE

KALE MERE DEVS REFRI
GERET SPIRITVM TVVM
VNA CVM (1) SORORIS TVAE HILARAE

Alterum ex Romano lapide apud *Puellas Mendicantes*

D. Y.
LVCIFERE COIVGI DVLCISSIME OMNEM QVE VIXIT AN
DVLCITVDINEM CVM LVCTVM MAXIME NOS XII. MES
MARITO RELIQVISSET MERVIT TITVLVM N. IIII. DIES. VI
INSCRIBI VT QVISQVIS DE FRATRIBVS LEGERIT ROGET DEV
VT SANCTO ET INNOCENTE SPIRITO AD DEVM SVSCIPIATVR

Utrumque rudibus atque incomptis caracteribus.

Puerorum Baptiſmatis, ut celebrem illam, & a Noriſio magni factam Paſcaſii Pueri Memoriam apud Fabrettum (*a*), aliaſque plurimas praeteream, teſtes egregii Graeci duo Tituli, quorum alter apud Muratorium (*b*) ſic habet.

(*a*) Fabr.c.VIII.n. LXX.p.557.
(*b*) Mur.p.1819.n.6

ЄΚΟΙΜΗΘΗ. ΑΧΙΛΛΙΑ	*Dormiit Achillia*
ΝЄΟφωΤΙCΤΟC ΕΝΙ	*Recens Illuminata*
ΑΥΤΟΥ. ΜΗΝωΝ. Є. ΤΡΙ. Ζ̄	*Unius anni Menſium V.*
ΚΑΛΑΝΔωΝ ΜΑΡΤΙωΝ ΗΜΕΡΑ	*au. d. VII. Kal. Mart.*
CЄΛΗΝΗC	*Die Lunae*

Recens Illuminata, Graece Νεόφωτιςος dicitur Achillia ſuſcepto non multo ante coeleſti lavacro. *Baptiſmus* enim cum plura apud antiquos nomina ſortitus eſt, tum illud, ut φωτισμα, *Illuminatio* ſcilicet *diceretur*. Ita Lao-

L l

(1) Subaudi, *Spiritu*.

Laodicenſi Concilii Canone 45. Gregorii Nazianzeni orat. 39. & 40. Chryſoſtomi Catecheſi Illuminat. 1. Quibus aliiſque plurimis praeivit Paulus Apoſtolus (a), *ἀδύνατον γὰρ τοὺς ἅπαξ φωτισθέντας* &c. *Ἀναμιμνήκεσθε δὲ τὰς πρότερον ἡμέρας ἐν αἷς φωτισθέντες*. Hinc Catecheſes ſuas *φωτιζομένων* inſcribit Cyrillus Hieroſolymitanus; & qui recens baptiſmum ſuſceperant, *Νεοφωτιστοι* a Chryſoſtomo (b) appellantur, & ipſi Sacri Fontes *φωτιστηρια* dicuntur. Lapis alter apud Lupum (c) ex Kircheriano hujuſmodi eſt.

(a) Ad Hebr. c. VI. v. 4. c. X. v. 32.

(b) Chryſ. Catech. II. Illum.

(c) Lup. l. c. p. 136.

ΠΙCΤΟC ΕΚ ΠΙC	*Fidelis ex Fidelibus*, parentibus,
ΤωΝ ΖωCΙΜΟC	*Ortus Zoſimus*
ЄΝΘΑΔЄ ΚЄΙΜЄ	*Hic jaceo, quum*
ΖΗCΑC. ЄΤЄCΙΝ	*Vixerim annos*
Β. μΗ. ΗμЄ. ΚЄ.	*Duos menſem I. Dies XXV.*

Zoſimum bimulum puerum *πιστον*, ſeu *Fidelem* non dixiſſet, qui eidem memoriam poſuit, niſi ſacro fonte tinctus fuiſſet. Illud enim ex Illyberitani Concilii Canone 67. & 73. ex Laodicenſis c. 19. Valentini an. 574. cap. 1. Euſebio, Auguſtino, Innocentio I. (d), aliiſque plurimis notum & vulgatum, *Fidelem* eum dici, qui Baptiſmum jam ſuſceperit, & Catechumeno opponi: *Quaero*, inquit Innocentius . . . . . *ſi una eademque ſit uxor ejus, qui ante Catechumenus, poſtea ſit fidelis, filioſque ex ea cum eſſet Catechumenus ſuſceperit, ac poſtea alios cum Fidelis, utrum Fratres ſint appellandi*.

(d) Euſeb. Dem. Evang. lib. VII. c. 1. Aug. ep. ol. 67. Innoc. I. ep. XVII. apud Coutant.

Novi *πιστους* apud Cyrillum in Procatecheſi vocari *Catechumenos* in ſupremo Catechumenatus ordine conſtitutos: ſed, ut omittam, quod in notis obſervavit Toutteius, proprium hoc fuiſſe Hieroſolymitanae Eccleſiae, ut Catechumeni illi *των πιστων* nomen obtinerent, illud certum ex Ambroſio (e) Romae nonniſi, qui baptizati erant Fideles nuncupatos. Imo ſi Albaſpinaeo credimus (f), ne ille quidem *Fidelis* dicebatur, qui Baptiſmo, & Con-

(e) Ambroſ. de Sacram. lib. 1. c. 1.

(f) Albaſpin. Obſer. Eccl. lib. 1. n. XXV.

Confirmatione ſuſceptis, *Euchariſtiam*, nam haec omnia uno eodemque tempore pueris etiam collata primis Eccleſiae ſaeculis nemo neſcit; *Euchariſtiam*, inquam caſu aliquo non ſuſcepiſſet: *Inter Fideles non adſumebantur, qui Fidem in Baptiſmo, aut qui Chriſmata & dona Spiritus Sancti, ipſumque Spiritum Sanctum in confirmatione adepti eſſent: Verum ii ſolum cenſebantur, & appellabantur Fideles, qui his duobus Sacramentis muniti, Euchariſtia inſuper donarentur*. Haec Albaſpinaeus: An id viro docto daturi omnes ſint ignoro: Confirmari utcumque haec poſſent Gruteriana hac inſcriptione (*a*), (a) Grut. pag. 1051. n. 9.

HIC REQVIESCVNT DVO FRATRES INNOCENTES
CONSTANTIVS NEOFITVS QVI VIXIT ANNIS
OCTO. M. II. D. VI
IVSTVS. FIDELIS. QVI. VIXIT. ANNIS. VII.

In qua explicanda Fleetvood & Corſinium haeſiſſe animadverto. *Non video*, inquit Fleetvood apud Corſinium (*b*), *rationem cur puer annorum VII. Fidelis eſſet, & alter annorum octo Neofitus; forte erant puerorum cognomina*. Improbat haec, & merito ſane Corſinius. *Quis Neofiti vocem infantis cognomen eſſe concesſerit? . . . . Ille fortaſſis Fidelis hic dicitur, qui prius ingruente morte Baptiſmum ſuſceperat, ipſique aliquandiu ſuperſtes fuit; ille vero Neophytus, qui recepto baptiſmo citius interiit*. Vereor ut his omnes aſſentiantur. Meliora fortaſe qui Albaſpineum ſecutus, Conſtantium Neophytum vocari vellet, quod baptiſmate, & Confirmatione ſuſcepta, antequam Euchariſtiâ donaretur, obierat; Juſtum autem *Fidelem* dici, quod Euchariſtiam una cum Baptiſmate, & Confirmatione antequam moreretur, acceperat. Sed haec ἐν παρόδῳ, caetera proſequamur. Vota Martyribus facta, & perſoluta teſtatur lapis iſte ex Cyriacae Coemeterio, apud Boldettum (*c*).

(b) Corsin. ap. ad. Not Graec. diſſ. II. p. XXXIII.

(c) Boldet. Oſſ. ſu Cim. lib. II. c. VIII. p. 431.

PETRVS ET PANCARA BOTV PO
SVENT MARTVRE FELICITATI

Rudi ſtylo, ſed ſatis aperte Illuſtriſſimae Martyri Felicitati, cujus in Urbe nobilis Memoria & Coemeterium, *Votum poſuiſſe ſe teſtantur Petrus & Pancara*. Neque omittendus inſignis ille lapis utrimque ſcriptus a Gorio (a) evulgatus, cujus in altera parte haec leguntur

(a) Gor. Symb. T. iv praef. p. XLI. XLII.

SANCTIS MARTVRIBVS
PAPRO. ET. MAVROLEONI
DOMINIS VOTVM REDD ☧
CAMASIVS. QVI. ET. ASCLEPIVS. ET. VICTORINA &c.

in Altera

DOMINIS SANCTIS
PAPRO. ET. MAVROLEONI
☧ MARTVRIBVS ☧
CAMASIVS. QVI. ET. ASCLEPIVS. ET. VICTORINA VOT. &c.

Praeclarum tandem Confirmationis teſtimonium, repeto, ex hoc vulgato ſaepius lapide apud Baronium (b)

(b) Bar. an. c. 367.

D. P.
PICENTIAE
LEGITIMAE
NEOPHITAE
DIE. V. KAL. SEPT.
CONSIGNATAE
A. LIBERIO. PAPA &c.

Quod autem audis, inquit Baronius, *conſignatam*, *intelligere debes collatum Sacramentum, quod dicimus Confirmatio-*

mationis, *ſeu Chriſmatis uti vetus loquendi uſus obtinuit*, *quod accipi conſuevit ab Epiſcopo ſuo*. Picentiae Epitaphio addit Corſinius (*a*) Fl. Catervii, & Severinae Titulum apud Fabrettum (*b*), in quo cum alia multa, tum haec leguntur.

(a) Corsin. l. c. pag. XXXVII.
(b) Fabr. c. x. n. 505.

Quos paribus meritis junxit Matrimonio dulci
Omnipotens Dominus Tumulus cuſtodit in aevum
Catervi Severina tibi conjuncta laetatur
Surgatis pariter Chriſto praeſtante Beati

QVOS DEI SACERDOS PROBIANVS LAVIT ET VNXIT.

Id unum, inquit Corſinius, *mihi in eximio marmore obſervaſſe ſufficiat*; quod *Probianus Dei Sacerdos conjuges illos laviſſe*, *& unxiſſe dicitur*, *quorum certe verborum primum ad Baptiſmum*, *alterum vero ad Confirmationem manifeſtiſſime referri debet*. *Quemadmodum enim plurimis Patrum teſtimoniis erudimur Chriſmatis*, *vel Unctionis nomine hoc ipſum Confirmationis Sacramentum deſignari conſueverat*, *quod ab Auguſtino lib.* 11. *C. litt. Petilian.* 104. *Sacramentum Chriſmatis appellatur*, *quemadmodum Chriſma*, *vel Unctio vocatur a Cypriano ep.* 70. Ungi neceſſe eſt eum, qui baptizatus ſit, ut accepto Chriſmate, ideſt Unctione eſſe unctus Dei, & habere in ſe gratiam poſſit: *Et Tertullianus Utrumque Baptiſmi & Confirmationis Sacramentum explicans lib. de Reſurrectione Carnis cap.* 8. *ait* Caro abluitur, ungitur ſignatur: *Ergo dum Probianus Caterivium & Severinam unxiſſe dicitur*, *ſacra ſolemnique voce indicatur*, *conjuges illos Confirmationis Sacramentum poſt Baptiſmum ſuſcepiſſe*, *quod peracto Baptiſmi ritu*, *ab Epiſcopo conferri conſueverat*. Haec vir doctiſſimus, quae non inviti ſubſcribimus.

CV.

VENEROSA. IN PACE DEFVNCTA EST X. KAL. OCT

CVI.

CVI.

✠ GGS EPS SERVVS SERVORV DI DILECTO
FILIO NRO EVGENIO . A NOBS CSECRATO EGVMENO . I SVBSCRIP
TO LOCO Q NOMINAT CELLA MVRONIANA . SVPRA PORTA BE
ATI PAVL APL . VBI E ÆCCLA RECDITA . AD HONORE IMAGINIS DNI DI

In Eccleſia S. Sabae.

Ingens Tabula marmorea ex iis quibus veſtiuntur parietes Hypogei, *Confeſſionem* vulgo nominant, S. Sabae epigraphen hanc refert: Titulum eſſe arbitrór Pontificiae epiſtolae, quâ bona fortaſſe, privilegia, aliaque hujuſmodi Monaſterio, & Eccleſiae S. Sabae a Gregorio conceſſa, ut poſterorum memoriae commendarentur inſculpta erant. Periere tamen hae litterae, vel adhuc latent, noſtra enim tabula praeter hunc titulum ſummâ lapidis parte inciſum nihil aliud exhibet; apparent dumtaxat tenuiſſima linearum veſtigia, quae ut verſus ad normam inſculperentur, a quadratario ductae fuerant: cur id factum ſit aliis divinandum permitto.

De Eugenio nihil habeo quod dicam, ignota omnia, atque obſcura, unum hoc ſi exceperis, a Gregorio Pontifice *Egumenum*, Abbatem ſcilicet, *conſecratum* fuiſſe. Monachorum Praepoſitos Ἡγεμένες a Graecis nuncupatos ignorare neminem arbitror; eoſdem *Egumenos* apud Latinos quandoque appellatos fuiſſe, non uno exemplo oſtendunt Meurſius in Gloſſario, Suicerus, & Du Cangius in *Lexicis*. *Pardum Hegumenum Praefectum Monaſterio S. Sabae* habes apud Anaſtaſium (*a*). *Laurentium & Sergium Ygumenos* Monaſterii SS. Sergii & Bacchi, apud Muratorium (*b*). Cujus Monaſterii Eugenius hic noſter

(*a*) Anaſt. V. Hadr. I ſect. 306.
(*b*) Mur. AA. M. Æ. To. I. p. 199. T. V. p. 455.

noſter Abbas fuerit inſcriptio neutiquam docet, at cum in S. Sabae reperta fuerit, eum Abbatem ejuſdem Monaſterii fuiſſe, quamvis affirmare certo non auſim, conjectura tamen ducor ad ſuſpicandum.

Sed nec Gregorium iſtum novi, a quo Eugenius *Egumenus* conſecratus eſt; nec qui ſit, conjicere poſſum. Illud in tanta hac rerum obſcuritate non temere fortaſſe ſtatuere mihi poſſe videor, Eugenium hunc noſtrum Graecum Monachum, uti ex illa voce *Egumeno* facile auguror, & S. Sabae Abbatem, ut ſuſpicor, nec Gregorio IV. antiquiorem eſſe, nec Gregorio VII. recentiorem. Gregorio VIII. an. 1187. Pontifice, Latini Monachi S. Sabae Monaſterium occupabant, ut numero ſequenti oſtendam: Gregorio autem III. ab anno 731. ad annum 741. ſedente Graecos Monachos Oriente relicto Urbis Monaſteria jam occupaſſe non certo conſtat.

Non leve fortaſse conjecturae huic pondus ex ipſa Caracterum forma addi poſset; video enim C quadratum quale hoc in lapide occurrit, a Saeculo VIII. ad XII. frequentiſſime uſurpatum. Exhibent quadratum C Francorum Regum monumenta, Chilperici Bulla plumbea apud Baldinium (*a*), Caroli Magni, Hugonis, Philippi I. numi & ſigilla, quorum haec apud Mabillonium, illos apud le Blanc invenies (*b*): extat in numis Cleowlfii, Aelfredi aliorumque Anglo-Saxonum Regum apud Andream Fountaine (*c*): in numis Olaj Skotkonungii Svecorum Regis apud Brenner (*d*): in veteri Caſula Claſſenſi, quam ſaeculo VIII. tribuit, qui eam egregio doctoque commentario illuſtravit, U. C. Maurus Sartius Monachus & Cancellarius Camaldulenſis, nunc S. Gregorii ad Clivum Scauri in Urbe Abbas, totius Sacrae, & Profanae Antiquitatis ſcientiſſimus, quem & plurimi ſemper feci, & honoris cauſa nomino: extat in Mſs. Codicibus ejuſdem ſaeculi VIII. apud auctorem Chronici Gotwicenſis (*e*): in aeneis valvis Beneventanae Baſilicae, & in picturis Eccleſiae Anagninae, quarum has ſaeculo XI. tribuit Marangonius; illas ſaeculo XI. vel ſequentis initio conflatas putat Ciampinius (*f*): extat in veteri monumento inciſo *Anno*

(*a*) Baldin not. ad Anaſt. T. IV. p. 225.

(*b*) Mabill. de Arte Diplom. p. 385. &c. le Blanc de les Monojes &c. p. 34. &c.

(*c*) Andr. Fountaine Num. Anglo-Sax. p. 163.

(*d*) Brenner. Num. Regum Sveciae. Tab. II.

(*e*) Chron. Gotvvic. T. I. p. 36.

(*f*) Marang. Acta S. Magni p. 45. &c. Ciamp. Mon. Vet. T. II. Tab. IX.

Anno milleno centeno decade luſtro; (*a*) tandem, ne omnia percurrere velle videar, extat plus vice ſimplici in Monumento Henrici Carinthiorum Ducis fratris Wolofridi Aquilejenſis Patriarchae (*b*).

(*a*) Hiſtor. di Comachio p. 390.

(*b*) Antiq. Aquilejenſ. p. 374.

Hanc ego multiplicem exemplorum copiam ex tot tamque diſſitis regionibus deductam cum attentè conſidero ab eorum ſententia diſcedere cogor, qui hanc litterae C formam Langobardorum propriam fuiſse volunt. *La lettera* C, inquit U. C. Jo: Joſeph Liruti (*c*) *formata in queſta guiſa* C *abbiamo giuſto motivo di aſſerirla, coſtume di ſcrittura de' Longobardi, poſciache in alcuni degli antichi monumenti di quella età così formata la ravviſiamo, e particolarmente in altro antichiſſimo monumento della medeſima noſtra Città di Friuli* (nempe in eburnea Chriſti e Cruce pendentis effigie Urſi Cenetenſis Ducis juſsu circa annum 749. elaborata): *in queſta ſingolare, e preziosa anticaglia, quattro volte è intagliata la lettera* C, *e tante volte ella è fatta nella maniera, che la veggiamo nella moneta* (Veneto nimirum numo, in quo legitur VENECIA), *il che non ſi oſſerva coſtumato a' tempi degli Imperatori Franceſi almeno frequentemente*: ab hac inquam ſententia diſcedere cogor. Ut enim quaerere illud omittam, an Langobardi novas caracterum figuras, quae ad ſaeculum uſque XII. obtinuerint in Italiam induxerint, uti contendit Mabillonius (*d*); negat vero, non temere fortaſse, Scipio Maffejus; ſi Langobardici caracteris exempla, quae Mabillonius profert (*e*) conſulas, quadratum C, in eis invenies nullum. Illud veteri Gallico *Alphabeto* a Boteruvio ex vetuſtiſſimo lapide ſepulcrali apud Ambianos reperto expreſso, tribuit Mabillonius, *quamquam*, inquit, *non ita accuratum exiſtimo alphabetum hoc, ut pro caracteribus Gallicis plane genuinis omnino cenſeri poſſit*. Quidquid ſit, video quadratum C veteribus Gallis & Francis placuiſse, qui illo longe ante ſaeculum VIII. uſi ſunt, invenio enim illud in numis & ſigillis Clodovei, Theodorici I. Clotarii, Childerici II. Childeberti, apud le Blanc (*f*), & Mabillonium, quibus antiquior etiam

(*c*) Monet. del Friuli p. 140.

(*d*) Mabill. l. c. p. 49.

(*e*) Idem l. c. p. 437.

(*f*) Le Blanc. l. c. p. 14. &c. Mabil. l. c.

etiam eſt Theodomeris, qui apud Francos antequam Gallias occuparent regnabat, aureus numus ab eodem le Blanc evulgatus *(a)*. At placuit etiam Anglo-Saxonibus, atque hinc illud *Alphabeto* Anglo-Saxonico, atque Anglo-Danico tribuit Fountaine *(b)*; placuit Svecis, Langobardis, Italis, Germanis, ut *Alphabeto* natio quaeque ſuo tribuere illud eodem jure poſſit. Idcirco, ut quae ſentio libere dicam, facile mihi perſuadeo Italos, Langobardos, Gallos, Anglo-Saxones, aliaſque gentes ea, quam dixi, potiſſimum aetate, pro ſcriptorum ſculptorumque arbitrio quadratum C, uſurpaſſe, ut certi cujuſdam temporis proprium dici illud poſſit, non certae cujuſdam nationis: ſed de his nimis fortaſſe multa.

(a) Id l.c. p.14.

(b) Fount. l.c. pag. 167.

CELLA MVRONIANA. Quae ſit *Cella* iſta *Muroniana* fateor me neſcire. Aventino in Colle ad laevam viae Oſtienſis, non longe a porta, quae *S. Pauli* cognominatur, locum fuiſſe non ignoro, qui *Cellanova* diceretur, ubi *Oratorium* S. Silviae Gregorii Magni parentis, & Monaſterium S. Sabae aedificatum fuit, quemadmodum refert Joannes Diaconus in vita ejuſdem Gregorii, cujus verba numero ſequenti recitabo. *Gregorius de Cellanova* ſubſcribit commentitiae illi Leonis VIII. conſtitutioni, quam ex Crantzio adfert Baronius ad ann. 964. Monaſterium *Cellaenovae* ſemel atque iterum in vita Stephani IV. commemorat Anaſtaſius *(c)*, quod non aliud fuit, quam Monaſterium S. Sabae, cujus Abbas in notitia xx. Urbis *Abbatiarum*, apud Panvinium, & Mabillonium *(d)* dicitur Abbas S. Sabae *de Cellanova*. Hinc cum utramque *Cellam* a porta S. Pauli non longe poſitam videam; *Muronianam* hanc, ni eadem ſit ac *Cellanova*, quae ab Urbis aeternae muris, a quibus non longe diſtat, alterum hoc nomen ſortita ſit, eidem proximam fuiſſe pro certo habeo. Cur vero locus uterque, locus inquam, nam Urbis ſive regiones, ſive vicos fuiſſe nullus dubito, *Cella* diceretur, ignoro. Plures voci huic ſubjectas notiones dabunt Pignorius *(e)*, *de Servis*, du Cangius, aliique quos *Lexicographos* vocant; eas ego

(c) Anaſt. V. Steph. IV. ſect. 272. 273.

(d) Panvin. de 7. Eccl. Mabill. Muſ. Ital.

(e) Pign. de Serv. p. 137. 263. &c.

ego hic tacitus praeteribo, quandiu ſtatuere certo nequeo, quaenam ex iis, ea ſit quam quaerimus.

SVPRA PORTAM B. PAVLI. Portam *Trigeminam*, quae & *Oſtienſis*, a proximo Apoſtoli Templo nomen S. Pauli adeptam fuiſſe nemo neſcit; Quo primum id tempore factum ſit, non vacat inquirere. Nequis tamen inſcriptionem hanc noſtram ad recentiora Gregorio VII. tempora hujuſce nominis causâ revocandam contendat, ſaeculo VI. jam id nominis portae huic tributum fuiſſe dico; lego enim apud Procopium (*a*): *per eam Portam quae a S. Paulo nomen habet*: ibidem etiam (*b*): *obſidio Romae ducta longius fuerat, cum Iſauri quidam cuſtodes Portae, quae Pauli Apoſtoli nomine inſignis eſt... ipſe Gothorum exercitum ad Portam, quam Pauli Apoſtoli nomine inſignem eſſe dixi*.

(*a*) Procop. de Bel. Goth. lib. II. c. IV.

(*b*) Id. l. III. c. 36.

ECCLESIA RECONDITA AD HONOREM IMAGINIS DOMINI DEI. Adde vel NR. XPI. vel SALVATORIS NOSTRI IESV CHRISTI, quorum alterutrum in archetypo fuiſſe nullus dubito. Priorem formulam habes in epigraphe Hilari Archidiaconi Romani, & deinde Pontificis apud Blanchinium (*c*)

(*c*) Blanc. in Anaſt. T. III. p. 169.

✝ AVXILIANTE DNO DO NP XPO ORANTE BEATO LAVRENTIO MARTIRE HILARVS ARCHIDIAC. FECIT

poſteriorem apud Anaſtaſium (*d*) cum illius imaginis meminit, quae magna totius Urbis veneratione colitur in *Oratorio ad Sancta Sanctorum*: *In una vero dierum cum multa humilitate ſollicite procedens* (Stephanus III.) *in laetania cum ſacratiſſima imagine Domini Dei & Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, quae antheropſita* (1) *nuncupatur*. Chriſti imagines plures aureas, argenteas, aereas, marmoreas, pictas, muſivas, in Romanis Baſilicis, & Eccleſiis fuiſſe ſane novi; novi Eccleſias plurimas Chriſto Jeſu *Salvatoris* titulo dicatas fuiſſe; quas longo ordine recenſent Pancirolus, Martinellus, & Marangonius (*e*). At

(*d*) Anaſt. V. Stephani III. ſect. 233

(*e*) Pancir. Teſor. Neaſc. Martinel. Roma Sacra. Marang. dell' Orat del SS. Salvatore.

(1) Pro *antheropſita* lege *Achiropita*, ſcilicet non manu facta.

At neque Eccleſiam ullam *ſupra Portam Beati Pauli ad honorem imaginis Dei reconditam* invenire potui; neque imaginem ullam Chriſti Domini ex qua Eccleſiae nomen inditum fuerit, peculiari in Eccleſia S. Sabae veneratione cultam fuiſſe, aut legi, aut percuntando licuit ediſcere. Graecos Monachos fortiſſimos illos Sacarum Imaginum propugnatores, aliquam Chriſti Domini Imaginem ex Oriente ſecum allatam, quod eorum plurimos feciſſe novimus, hac in Eccleſia quam diu tenuere, collocaſſe, & veneratos fuiſſe, videbatur ſane ſimillimum veri; at monumenta nulla ſuppetunt, quibus firmare id certo poſſim. Suſpicabar equidem inſcriptionem hanc, quae in epiſtylio portae ejuſdem Eccleſiae unico verſu inciſa legitur

✠ AD HONOREM I. DOMINI NOSTRI IHV XPI.
ANNO. VII. PONTIFICATVS DOMINI INNO-
ſic
CENIII. III. PP. HOC OPVS DOMINO IO-
HANNE ABBATE IVBENTE FACTVM EST P
MANVS MAGISTRI IACOBI

revocari huc poſſe; ſic enim illa AD HONOREM I. DOMINI. &c. interpretabar, Ad honorem *Imaginis Domini &c.* At non haec tanti viſa ſunt, ut rem certo ſtatuerem. Quando igitur conjecturis uti oportet, placet alteram hic doctis viris proponere. Quid ſi Eccleſia S. Balbinae extremo in Aventino poſita, atque a Porta S. Pauli non longe diſtans ea ſit, quam inſcriptio haec noſtra commemorat? Eccleſiam hanc, quod in ea *Chriſti Domini imago* magna populi veneratione coleretur, *S. Salvatoris* nuncupatam olim fuiſſe video: lego enim in veteri Catalogo Monaſteriorum Ordinis *Guillielmitarum* apud Bollandum (*a*): *Monaſterium S. Salvatoris de Sancta Balbina Romae*: lego in epigraphe aenei ſigilli initio, ni fallor, hujuſce ſaeculi in proximis Eccle-

(a) Bolland. Acta SS. Feb. Tom. II. p.480.

ſiae hortis reperti : *Sigillum Prioris* (1) *Salvatoris Sanctae Balbinae* (a): accedit his Scriptorum non vulgarium auctoritas, qui idem teſtantur: *Dietro l'Altare di S. Balbina*, inquit Pompejus Ugonius (b), *è il ſemicircolo della Tribuna, che dentro una nicchia ornata a Moſaico riceve la ſedia marmorea Pontificale di pietre diverſamente colorate, overo indorate conteſta. Il reſto è tutto di vecchie pitture dipinto, in mezzo delle quali è un antico Salvatore, per il cui riſpetto dicono, che queſta Chieſa fu in alcun tempo chiamata del Salvatore. Queſta Imagine dice Martino Polono eſſere ſtata divinamente dipinta: ma il volgo dice, che ad eſſa ſoleſſe fare orazione S. Balbina, il che però non è nè anche veriſimile .... come che ſia la detta imagine è tenuta così da Foreſtieri, come da Cittadini in grandiſſima venerazione. In Eccleſia S. Salvatoris S. Sabinae*, inquit Nicolaus Seniorilis apud Creſcimbenium (c), *ſunt infraſcriptae Sanctorum reliquiae = Dicebatur olim*, inquit Martinellus (d), *etiam ad Sanctum Salvatorem, cujus imago in Choro ſupra altare majus viſitur*. Si quis igitur Eccleſiam S. Balbinae eam eſse volet, quae hoc in lapide *ad honorem Imaginis Domini Dei* Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti *recondita*, nempe inſtaurata, & renovata dicitur, non temere faciet me judice. At haec vera ſi ſint, extremo in Aventino, qua Collis Antonini Caracallae Thermas attingit, *Muroniana Cella*, quam nuper quarebamus conſtituenda erit, a *Nova* non longe diſtans, atque Urbis muris proxima. Nam Eccleſia S. Balbinae abeſt a Sancti Sabae paſſus quinquaginta & ducentos, a muris vero vix ducentos. Multa de hac Eccleſia Ugonius, Pancirolus, Piazza, Creſcimbenius, aliique diſserunt, quorum aliqua tractari diligentius fortaſse poſsent; ſed non hujus loci eſt diſputatio iſta.

(a) Giornal. Ital. T. xix. p. 325.

(b) Ugon. Stazion. di Roma p. 130.

(c) Creſcimb. Storia di S. Maria in Coſmed. p. 367.

(d) Martinel. Roma Sacra p. 76.

CVII.

(1) Sic in apographo, at ſuſpicor in archetypo inciſum fuiſſe *Prioris S. Salvatoris*.

CVII.

✠ MCCCC · ANNIS XXVQVE · PERACTIS ·
· HEC DOMVS Ē FACTA · 9 CON
· DIDIT ILLE IOHANNES ·
· NOMINE DICTVS ERAT · SC̄I
· SABE FVIT ABBAS ·
· DE MONTE OPVLO NATVS ET A
· PVERIZIA SVA HIC MONACHAT ·
· PRO MONACHIS ET IPSO ORA
· TIONES FVNDITE XPO ·

In Eccleſia S. Sabae.

Quam domum Joannes hic conſtruxerit incertum, Lapis enim loco avulſus ſuo in gradibus Januae, qua ex Eccleſia itur in proximas aedes, affixus jacet, praetereuntium attritu conterendus, loci tamen infrequentia, & ſolitudine diu, auguror, duraturus, ne ſeri nepotes, & qui naſcentur ab illis, quando reliqua vetuſtate obruun-

obruuntur, hoc ſaltem ignorent, anno 1320. Joannem de Monteopulo Sabinorum oppido Abbatem S. Sabae fuiſſe; S. Sabae, inquam, celeberrimae olim Abbatiae, quae & Abbatia *SS. Andreae, Thomae, & S. Sabae de Cella nova* nuncupata eſt, atque una fuit ex xx. Urbis Abbatiis, quarum Abbates Romano Pontifici ad Altare Lateranenſis Baſilicae operanti adſtabant (*a*). Illius initia obſcura mihi, & incerta. Lucius II. iis in litteris, quarum aliqua paulo poſt recitabo: *Monaſterium* inquit, *S. Sabae a temporibus Sanctiſſimi Papae Gregorii in religione, & honeſtate fundatum, atque magnis, & ampliſſimis poſſeſſionibus ditatum fuiſſe dignoſcitur* at illa *a temporibus* interpretor, *circa tempora*, paucis ſcilicet poſt annis a Gregorii Pontificatu. Cur ita velim auctor eſt Joannes Diaconus in vita Gregorii ejuſdem, in qua ſcribit (*b*). *In hujus Monaſterii penetralibus* (in Monaſterio nempe S. Andreae ad Clivum Scauri, quod idem extruxerat) *vir omnipotentis Dei Gregorius a Matre Silvia* (1) *tunc temporis juxta Portam Beati Pauli Apoſtoli loco qui dicitur Cella nova, quo hactenus Oratorium nomini ejus dedicatum eſt, & famoſum S. Sabae Confeſſoris Chriſti Monaſterium, cujus laus in Sexta & Septima Synodo conſtitutum videtur, degente crudis leguminibus paſcebatur*. Ex quibus duo ſunt, quae eruere poſſe mihi videor, alterum Gregorio M. Pontifice Monaſterium hoc nondum extitiſſe: alterum non longe a Gregorii aetate fundatum fuiſſe, cum illius Monachos illiſtres fuiſſe dicat Joannes in Sexta Synodo, quae an. 680. Conſtantinopoli celebrata eſt, ad quam *Religioſos Servos Dei Monachos* ab Agathone Papa miſſos fuiſſe novimus (*c*), quos ex S. Sabae Monaſterio deductos locus hic non obſcure oſtendit. Sed haec alii certius ſtatuent,

(*a*) Panv. de 7. Eccl. Mabill. Muſ. Ital. T. II. p. 574.

(*b*) Joan. Diac. V. Greg. M. lib. 1. n. 9.

(*c*) Agath. P. ep. ad Conſtantin.

(1) *Et tamen Paulus Diaconus in ejus vita num. 2. ſcribit Gregorium nonniſi poſt obitum parentum Monachum fuiſſe. An vero hoc factum non ad Silviam Gregorii matrem referendum, ſed ad ipſius nutricem, quae tempore Pontificatus ejus adhuc vivebat, ut conſtat ex lib. Sept. Epiſtolar. ep. 44. ad Ruſticianam?* Mabill. *Acta SS. Ord. Bened. Tom. 1. pag. 393.*

ſtatuent, qui vetera monumenta ad Abbatiam hanc ſpectantia, ſi quae tamen ſunt, nanciſci poterunt, quod nobis non contigit.

Circa annum 770. Monaſterium S. Sabae Graeci Monaci occuparunt. Hos ex Oriente Iconoclaſtarum furore excedere coactos Roma exceperat, eiſque Eccleſias, quibus ritu ſuo (1) inſervirent, & Monaſteria ubi degerent attribuerat, quorum e numero Monaſterium, & Eccleſia S. Sabae. Graeci hujus Abbates non ultimo ſane loco in Romana Eccleſia, plurimiſque pro ea ſuſceptis legationibus illuſtres. Pardum, quem *Religioſum Hegumenum Praefectum Monaſterio S. Sabae* vocat Anaſtaſius (*a*), duplici pro Hadriano Primo (2) legatione functum lego (*b*), altera anno 770. qua eſt ad Deſiderium Langobardorum Regem de Civitatibus recuperandis miſsus Orator; altera anno 775., vel ſequenti, quo Carolum M. Francorum Regem contra Saxones bellantem adiit. Paucis poſt annis (787) ejuſdem Hadriani nomine Nicaenae II. Synodo una cum Petro S. Petri Archipresbytero interfuit ac praefuit Petrus S. Sabae Abbas (*c*), Gregorio VII. Papa anno 1075. Maurus S. Sabae

(*a*) Anaſt. V. Hadr. I. ſect. 306.
(*b*) Baron. in Ann. Mabil. An. Ben. T II. p. 224. Hadr. I. ep. 54.
(*c*) Baron. l. c. Mabil. l. c. p. 289.

(1) Teſtatur hoc Leo IX. ep. 1. num. 29. ad Michaelem Cerularium CP. Epiſcopum: *Ut enim fertur omnes Latinorum Baſilicas penes vos clauſiſtis, Monachis Monaſteria & Abbatibus tuliſtis, donec veſtris viverent inſtitutis. Ecce in hac parte Romana Eccleſia quanto diſcretior & clementior vobis eſt? Siquidem cum intra, & extra Romam plurima Graecorum reperiantur Monaſteria, ſive Eccleſiae, nullum eorum adhuc perturbatur vel prohibetur a paterna traditione, ſive conſuetudine, quin potius ſuadetur, & admonetur eam obſervare . . . Scit namque quia nihil obſtant ſaluti credentium diverſae pro loco, & tempore conſuetudines, quando una fides per dilectionem operans bona quae poteſt, uni Deo commendat omnes.*

(2) Hadrianum I. S. Sabae monachum fuiſſe, lego apud Bartholomaeum Piazza (*a*), alioſque nonnullos, vellem hujuſce rei teſtimonia nobis protuliſſent, nam ex Hadriani ipſius vita eum apud Sanctum Marcum *a prima aetatis ſuae pueritia* educatum fuiſſe patet: ubi caſte, integreque vivens a Paulo I. Notarius Regionarius conſtitutus eſt, & poſtmodum Subdiaconus; a Stephano vero, cujus poſtea ſucceſſor fuit, Diaconus factus eſt.

(*a*) Staz. di Roma p. 169.

bae Abbas una cum Gebizone SS. Bonifacii, & Alexii Abbate Eugubinam, Feretranam & Piſaurenſem Eccleſiam Pontificius Legatus inviſit (a). Sequenti ſaeculo, Anſelmus S. Anſelmi Cantuarienſis Archiepiſcopi Sororis filius Sancti Sabae Abbas in Angliam a Paſchali II. apud quem gratia plurimum valebat, Legatus Pontificius miſſus eſt (b), primum anno 1115., ut Radulpho Cantuarienſi Archiepiſcopo Pallium deferret; iterum vero anno ſequenti: *Ipſo anno*, inquit Eadmerus, apud Alfordium (c), *circa menſem auguſtum reverſus a Roma ſupra memoratus Anſelmus venit Normanniam ad Regem Henricum litteras Apoſtolici deferens, quae ſibi vices Apoſtolicas in Angliam adminiſtrare concedebant*. At Angliam penetrare Henrico Rege impediente hoc anno Anſelmus nequaquam potuit, cujus rei cauſas uterque auctor pluribus exponit. Abbatibus hiſce Pontificiis Legationibus conſpicuis addendi, I. *Baſilius* ſaeculi IX. initio illuſtris ad quem extant Theodori Studitae litterae (d): *Βασιλειῳ τῷ ευλαβεςατῳ ηγȣμενῳ, ϗ αρχιμανδριτη* inſcriptae; hunc in carcerem a Nicephoro Imperatore conjectum ſunt qui putent, ex epiſtola ejuſdem Theodori ad Athanaſium; vereor tamen, ne nominis ſimilitudine decepti ſint. II. *Gregorius*, qui Synodo anno 1036. Romae habitae (e) in cauſa Bonizonis Monaſterii S. Petri Peruſiae Abbatis, contra Andream ejuſdem Urbis Epiſcopum, interfuit, ac ſubſcripſit. III. *Joannes* qui an. 1050. Romanae item Synodo interfuit, idemque Leonis IX. litteras, quibus Gerardus Epiſcopus Tullenſis in Sanctorum numerum refertur ſubſcripſit (f): Quam Synodum Mabillonius ſuperiori anno collocavit, at recte Pagius hoc anno celebratam fuiſse vidit (g): IV. Addendus etiam *Eugenius* ille, de quo ſuperiori numero diſſerebam; quo anno, quove loco, impudens ſim, ſi ſtatuam.

Ad Graecos hoſce Monachos, minime pertinet Joannes hic noſter, ſiquidem Latini coloni, ab annis jam quinque & ſeptuaginta ſupra centum Monaſterium S. Sabae occupabant. Lucius II. Cluniacenſes Monachos Cluniaco acceríitos in S. Sabae deduxerat. Extant hac ſuper

(a) Mabil. T. V. p. 37.

(b) Id. p. 607.

(c) Alford. An. Ecl. Angl. ad h. a.

(d) Theod. Stud. lib. I. ep. 35.

(e) Mabill. T. IV. p. 41V.

(f) Id. p. 512. 739.

(g) Pag. Crit. Bar. a. 1050.

ſuper re ad Petrum Venerabilem Cluniaci Abbatem litterae, quas ſupra citabam (*a*). Ex iis quid cauſae fuerit, cur Cluniacenſes hunc in locum translatos Lucius maluerit, facile intelliges. *Monaſterium S. Sabae a temporibus Sanctiſſimi Papae Gregorii in religione, & honeſtate fundatum, atque magnis, & ampliſſimis poſſeſſionibus ditatum fuiſſe dignoſcitur. Nunc autem peccatis exigentibus, & religio elapſa eſt, & pravorum hominum ſuperabundante nequitiâ bona, & poſſeſſiones diſtracta ſunt, & ab ipſo contra juſtitiam alienata. Eapropter dilecte in Domino Fili Petre Abbas quoniam Cluniacenſe Monaſterium longe lateque religione praecipua floruit, & bonae opinionis odore multos reſperſit, praefatum S. Sabae Monaſterium cum omnibus ad ipſum pertinentibus ad reformandum ibidem religionem, ad meliorandum etiam, & diſponendum tibi tuiſque ſucceſſoribus in perpetuum committimus . . . Datum Romae per manum Baronis S. R. E. Archidiaconi XIV. Kal. Febr. Ind. VIII. Incarnationis Dominicae anno MCXLIV. Pontificatus vero Domini Lucii II. Papae anno primo*. Animadverſione dignae Chronologicae harum litterarum notae, ex quibus intelligimus Lucium II. annos Incarnationis a. XXV. Martii exorſum fuiſſe. Anno quippe 1144. XIV. Kalend. Februarii vivebat adhuc Coeleſtinus II. qui obiit menſe Martio hujuſce anni 8. Id. uti ex Vaticano Codice ſtatuit Baronius, vel 7. Idus, uti Panvinium, & Sigonium ſecutus mavult Pagius. Scribebat igitur Lucius Januario menſe anni 1145. qui Pontifici a 25. Martii annum exordienti, erat 1144. Idipſum ex indictione facile dignoſcitur, quae XVI. Kal. Febr. an. 1144. *Septima* erat non *Octava*; haec enim Septembri tantum menſe hujus anni 1144. inchoata eſt, uti recte Papebrochius in Propileo, & Pagius in Critica Baroniana animadverterunt.

(*a*) Bibl. Clun. pag. 1048.

Cluniacenſes Monachos vel hoc ipſo anno, vel ſequenti ab Arnaldiſtis tota Urbe foede baccantibus Monaſterio S. Sabae pulſos, & verberibus caeſos Eugenius III. qui anno 1145. 3. Kal. Mart. Lucio ſucceſſor datus eſt,

ſuſcepit, aluit, atque confovit, cujus rei extant Petri Cluniacenſis ad Eugenium χαριςηρια γραμματα (*a*). An ſtatim in Monaſterium ſuum redierint ignorare me fateor; arbitror tamen pace inter Eugenium & Romanos facta an. 1153. Cluniacenſes Monaſterium ſuum recuperaſſe.

(a) Petr. Clun. lib. IV. ep. 25.

His ego Joannem hunc noſtrum tribuendum cenſeo, atque Joannem alterum, cujus meminit Gregorius IX. (*b*) iis in litteris, quas Innocentius IV. epiſtolae ſuae ad Abbatem S. Anaſtaſii de Urbe inſeruit. In iis lego Joannem Innocentii III. juſſu, *Eccleſiam Sanctae Mariae de Palatiolis ſub annuo cenſu duarum librarum cerae ipſi Monaſterio annis ſingulis perſolvendae*, conceſſiſſe Xiſto ejuſdem Eccleſiae Priori atque illius ſociis, qui S. Auguſtini regulam primùm amplexi, Ciſtercienſibus deinde acceſſere. Hunc ego eum eſſe arbitror, qui anno 1204., Pontificatus Innocentii Tertii ſeptimo marmoreos Eccleſiae poſtes fieri juſſit, ut docet inſcriptio epyſtilio inciſa, quam ſuperiori numero dedi.

(b) Ughel. Ital. Sac. T. I. p. 259.

Anno 1303. S. Sabae Abbas, una cum Abbate Sancti Gregorii ad Clivum Scauri delectus eſt a Bonifacio VIII. qui Vicario ejus Urbe abſente, lites quae inter Clerum Romanum, & Fratres Ordinum Praedicatorum, & Minorum vigebant, componeret. *Providemus*, inquit Boniſatius (*c*), *quod qui eſt, vel erit noſter in Urbe praedicta Vicarius, vel eo non exiſtente dilecti filii S. Gregorii, & S. Sabae de Urbe Monaſteriorum Abbates, vel alter eorum de plano ſine ſtrepitu, & figura judicii, cognoſcat de inobedientiis, exceſſibus, ſive culpis praedictorum Rectorum, & Cleri Presbyterorum, & Clericorum Parochialium, & Fratrum in praemiſſis, vel circa praemiſſa commiſſis, ipſoſque per cenſuram Eccleſiaſticam noſtra auctoritate puniant, prout ſecundum Deum viderint expedire . . . datum Anagniae V. Idus Aug. Pontificatus noſtri anno nono*. Abbatem hunc fuiſſe Joannem noſtrum, qui ſeptemdecim annis poſt lapidem hunc poſuit, temere aſſererem: at quicumque is fue-

(c) Bull. Dominic. T. II. p. 70.

fuerit, non mediocri prudentiâ virum fuiſse impoſita homini provincia luculenter oſtendit.

Quamdiu Monaſterium S. Sabae tenuerint Cluniacenſes ignoro. Eos hinc ejectos, atque Abbatiam Cardinalibus conceſsam ad an. uſque 1512. quo Leonardo Groſſio Roboreo ejuſdem *Commendatario*, ut vocant, ſuadente ab Julio II. Ciſtercienſibus Monachis data eſt, lego apud Creſcembenium. *A' Cluniacenſi fu poi levata, e fatta Commenda Cardinalizia: inſinattanto che l'anno 1512. a' 21. di Decembre per opera di Leonardo Groſſo della Rovere Cardinale di S. Suſanna allora Commendatario fu da Giulio II. conceduta a Monaci Ciſtercienſi di Chiaravalle, come appariſce dalla Bolla da noi veduta, e come ſcrive il Martinelli* (*a*). Vellem ſane Julii diploma, protuliſset Creſcimbenius, nam Martinellus Julio II. Pontifice Ciſtercienſes in S. Sabae deductos quidem ait (*b*); at quo anno factum id ſit, non docet. Ut ut ſit, non diu hoc in loco ſubſtitere Ciſtercienſes, ſiquidem Pius IV. anno 1561. Monaſterium S. Sabae ejuſque bona, *Decimo*, & *Porcigliano*, aliiſque nonnullis exceptis Xenodochio *S. Spiritus in Saxia* adjecit, & Ciſtercienſes, qui *Canonicis* S. Spiritus adjungi modeſte recuſabant, in Monaſterium *S. Crucis in Hieruſalem* tranſtulit, quemadmodum pluribus refert Pius in ſuo Diplomate, ſeu Bulla uti vocant, apud Beſozzium (*c*). Hinc corrigendus, ut ego arbitror Alverus, qui Franciſcum Capellum Veronenſem Xenodochii Praeceptorem Abbatiam S. Sabae a Paulo IV. pro Xenodochio impetraſse ſcribit (*d*): nihil enim hac de re lego in Diplomate Pii IV. quod fortaſse Alverus non vidit. Ciſtercienſibus Monaſterium S. Sabae occupantibus nulli praefuere ex eo ordine Abbates, ſed *Priores*, quos vocant Monaſterio praeerant. Paucis poſt annis, anno ſcilicet 1573. Gregorius XIII. Abbatiam S. Sabae a Xenodochio divulſam Germanorum in Urbe Collegio attribuit, haec ultima Abbatiae hujus viciſſitudo, & mutatio.

Ex his porro, quae hic diſputavimus habes S. Sabae Abbates.

(*a*) Creſcimb. Stor. di S. Maria in Coſmedin p. 370.
(*b*) Martinel. Rom. Sac. p. 295.
(*c*) Beſozzi Stor. di S. Croce in Geruſ. p. 189.
(*d*) Alberi Roma in ogni ſtato, T. 2. p. 264.

Pardum ———————— an. 772.
Petrum ———————— an. 787.
Baſilium ———————— an. 809.
Eugenium fortaſse ————
Gregorium ———————— an. 1036.
Joannem ———————— an. 1060.
Maurum ———————— an. 1075.
Anſelmum ———————— an. 1115.
Joannem ———————— an. 1204.
Joannem ———————— an. 1320.

Reliquorum nomina vel periere, vel adhuc latent, quae in *apricum* tandem *proferat aetas*, optamus.

1. . . M.
. . . . SANCTIS
. . incompARABILISSIMae
. . . . casTISSIMAEQue
. . . XVII. M. X. D. XII
. . . . N̄ SER
. . . . MIANVS
. . . . ISSIMA
. . . . E DOTE

2. D. M.
. . . . . IAIO. FECIT. PATRO
. . . . . AVLIO. ALEXANDRO
. . . . CONIVGI. BM. HERIDA
. . . NO. AVG. VERNA
. . . . LICERE. AMICOS. C. FVN
. . . . NIO. EPITECTO

3. . . . : . VIVS. C. F. PO . . .
. . . . MARMORIB . . .
. . . S. D. D. OB. MERI . . .
. . . OH. EIVSDEM. CV . . .

Fragmenta haec huc rejicimus; primum & ſecundum in Coemeterio S. Hermetis exſcripſimus; tertium nuper effoſſum eſt, ubi olim Praetoriana Caſtra fuerunt.

ADDEN-

ADDENDA

Pag. 185. lin. 2. doctèque diſputat : *adde* . (1)

SEiam Deam habes apud Plinium (*a*). *Hos enim Deos tunc maxime noverant, Sejamque a ſerendo, Segeſtam a ſegetibus appellabant, quarum ſimulacra in Circo videmus*. Eamdem Tertullianus, Macrobius, atque Auguſtinus commemorant; quorum primus *Seſſiam* vocat (*b*). At cum V.C. Dn. Maurus Sartius S. Gregorii in Urbe Abbas, quem ſupra laudavi docuerit me inſcriptionem hanc perperam deſcriptam, atque in archetypâ Baſi, vel Arâ, legi SEI. DEVS. SEI. DEA. eidem aſſentior legendum, *ſi Deus*, *ſi Dea*, vel uti in Gruteriano lapide (*c*), *ſive Deus*, *ſive Dea*. Ei pro I apud Latinos frequenter uſurpatum ſupra oſtendi; notum vero vulgatumque hujuſmodi formula, SI DEVS. SI DEA Romanos tunc uſos fuiſſe, cum ignota numina vel invocanda, vel placanda. Habes id apud Livium (*d*), ubi Valerius Tribunus Militum anno U.C. 405. contra Gallum pugnans, cum in illius galea Corvus conſediſſet; id ut augurium coelo miſſum accipiens, precatur SI DIVVS, SI DIVA *eſſet*, *qui ſibi Praepetem miſiſſet*, *volens propitius adeſſet*. Hoſtias SI DEO, SI DEAE immolabat, qui Ferias terraemotus cauſa indictas polluiſſet, uti refert A. Gellius (*e*), quod Dei nomen, cui ſervari ferias oporteret, ſtatuere, & edicere Romani non ſolerent. Eâdem etiam formulâ obſeſſarum Urbium numina evocata, docet Macrobius (*f*). *eſt autem carmen hujuſmodi quo Dii evocantur cum oppugnatione civitas cingitur* SI DEVS, SI DEA *eſt cujus populus Civitaſque Carthaginenſis eſt in tutela &c.* An id eadem cauſa factum ſit, diſputat Innocentius Anſaldus, quem vide (*g*).

(*a*) Plin. H. N. xviii. c. 2.

(*b*) Tertul. de Spectac. c. 8. Macrob. lib. I. Sat. c. 14. S. Aug. de Civit. Dei lib. IV. c. 3.

(*c*) Grut. p. I. n. 7.

(*d*) Liv. lib. 7. n. 26.

(*e*) A. Gell. lib. II. c. 28.

(*f*) Macrob. Sat. lib. III. c. 9.

(*g*) Anſald. de Rom. Deor. Evoc. c. 7.

Pag. 212. lin. 8. *Liberti ſcripſerunt*. adde (1), *hunc ſcilicet Titulum*. Titulum inſcribi habes in Epitaphio Luci-

Lucifere a nobis relato (*a*) . Quae de Formulae hujus novitate aliorum fide dixi , deleta volo , nam plures hujuſmodi formulas in Romanis lapidibus occurrere , partim mea , partim amicorum , diligentia didici . Vide Muratorium pag: 1375. num. 16. p. 2029. n.3. p.2075, num. 2. Marm. Piſaur. num. 82.

(a) Pag.265.

Pag. 233. lin. 15. VISCERATIO . *adde* : (1)

Latinas iterum hoc anno celebratas lego apud Livium (*b*) : *Ob eas res geſtas auſpicio L. Anicii Praetoris Senatus in triduum ſupplicationes decrevit . Ut latinae edictae a Conſule ſunt in ante IV. & III. & Prid. Idus Novembres* . At cum latinae hoc anno pr. Kalen. Apr. rite factae fuerint , nec Victoriarum causâ latinas iterum indictas vetera ulla monumenta, quod ego ſciam oſtendant , delendae omnino voces illae duae , *ut latinae* , quae hunc in locum perperam inſertae ſunt , & ſententiam perturbant , ut nemo non videt . Quî enim haec conveniant non ſatis video. Senatus in triduum ſupplicationes decernit , Conſul latinas edicit . Torquet ſe Sigonius , ut pugnantia componat (*c*) : *ſupplicationes indictae ſunt in certos dies , ut latinae indici ſolent : non enim hic de latinis indicendis loquitur, quippe quae in quatriduum hoc tempore indicerentur, non in triduum* : At non placet Sigonianum hoc effugium, aſſentior utroque Gronovio omnem omninò Latinarum mentionem hoc locò incommodam esſe , & ab ingenio Livii alienam : lege igitur , vel cum Gronovio patre (*d*). *Supplicationes decrevit , quae edictae a Conſule ſunt* : vel cum Filio : *& ſtatim edictae &c.* vel ſi mavis cum priori *& feriae edictae &c.* , quod tamen minus probatur . Ut ut legere placeat , *latinas* amove, quae nec hujus loci , nec hujus temporis ſunt .

(b) Liv. lib. XLV. n.3.

(c) Sigon. in notis Var. ad h. l.

(d) Gronov. l.c.

Pag. 237. Nihil compertum habeo ; *adde* :

Annius enim ille Largus Conſul anno Vulg. Aerae 147. cum Meſsalino , qui a V. C. Georgio profertur in adnotationibus ad Annales Baronii (*e*), ſuſpectus mihi eſt , cum inſcriptionem illam Beneventanam ſemel , atque iterum

(e) Bar. a.147.209.

iterum in Theſauro Antiquitatum Benevent. (*a*) relatam, non *Annium Largum*, ſed Valerium Largum exhibere videam. Annium Verum &c.

(*a*) Theſ. Ant. Ben. p. 229. p. xxx. n. 5.

Pag. 264. lin. 5. pro Ετρεψε lege Ετρεψας. lin. 7. *tranſtuliſti*: *Adde*. Inſcriptionem hanc vulgaverat Boldettus loc. cit. ex eo deinde Lupus noſter (*b*), Muratorius, aliique fortaſſe. In ea explicanda ſymbolam quiſque ſuam contulit, dignus enim vindice nodus vox illa ΝΕΤΡΑΨΕ. Boldettus ΕΓΡΑΨΑΣ legiſſe videtur, vertit enim *deſcripſiſti*: Muratorius poſuit ΓΡΑΦΕ, legitque *deſcribe*; miror tamen inſcriptionem ad archetypi fidem non dediſſe, quae apud Boldettum hujuſmodi eſt.

(*b*) Lupus epit. S. Sev. p. 165. 166. Murat. p. 1915. n. 6.

Ο ΘΕΟϹ Ο ΚΑΘΗΜΕΝΟϹ
ΙϹΟΕΖΙΑΤΟ Υ ΠΑΤΡΟϹ
ΙϹ ΤΟ ΠΟΝ Α ΓΙωΝ ϹΟΥ
ΝΕΚΤΑΡΕ ΟΥΤο ΨΥΧΑ
ΡΙΝΝΕΤΡΑΨΕ

Lupus ΕΓΡΑΨΕ legit, atque epigramma totum ſic interpretatus eſt. *Deus qui ſedet ad dexteram Patris in loco Sanctorum tuam Nectaream animulam deſcripſit*. Placuit nobis pro ψυχαριννετραψε legere ψυχαριον ετρεψας *animulam tranſtuliſti* a τρεπω ſcilicet, *converto transfero*. An vero verbum τρεπω hujuſmodi ſenſu Scriptores Graeci uſurpare conſueverint, non eſt cur quiſpiam ſollicitus quaerat; multa enim ſunt cum in Latinis, tum in Graecis veterum Chriſtianorum Epitaphiis, quae Ariſtarco, Diomedi, & Priſciano ſtomacum moveant; norunt, qui his ſtudiis delectantur, ſaepius non quid dicant, ſed quid dicere voluerint, inveſtigandum eſſe. His addo interpretationem alteram, quam nuper vir doctus nobis propoſuit: *Deus qui ſedet ad Dexteram Patris in locum Sanctorum tuam, Nectaree animulam inſcripſit*: σου. Νεκταρευ το ψυχαριω ενεγραψε.

Quor-

Quomodocumque tamen legas vel *inſcripſit*, vel *deſcripſiſti*, vel *tranſtuliſti*, formula haec, quâ Nectarei anima in coelum collocata dicitur, ☧ digna (1), atque in Χρηςομαϑειας referenda, uti iſtae, quas olim collegeram = *Acceerſitus ab Angelis = Cujus anima cum Sanctos in Pace = Habes requiem in numerum juſtorum = Animam quidem tuam ſuſcepit divina poteſtas, a qua credo poſſe peccata tibi dimitti* = CωΜΑ ΚΡΥΠΤЄΤΑΙ ΚΑΤω, *οικει δ' ανω πρ*ΟC ΤΟ ΘЄΙΟΝ Η ΨΥΧΗ . . . *μετα φω*C ΑΦΘΑΡΤΟΝ Ο ΤΡΑΝΩC ΒΛεπει. &c: Priores ex Fabretto (*a*), poſtrema haec ex Comaclenſi lapide Ravennam translato eruta. Illum Ferrus, Montfauconius, & Muratorius vulgaverant, ſuppleverant, atque explicaverant (*b*); at non omnibus explicationes ſuas probaverunt. Novum interpretem, qui manca felicius ſuppleret, & diligentius totum epigramma interpretaretur nonnulli optabant. Id egregie praeſtitiſſe videtur Andreas Rubbius S. J. in Ariminenſi Collegio Rethor, multarum linguarum, & Graecae praeſertim ſcientiâ commendandus, qui Dn. Iſidoro Blanco Camaldulenſi Monacho hortante, atque expetente novam Graeci lapidis interpretationem aggreſſus eſt. Eam cum paucis ab hinc diebus idem Dn. Iſidorus eximius Antiquitatum cum Graecarum, tum Latinarum cultor, nobiſcum pro ſua humanitate communicaverit hic integram recitare placuit, gratum viris Mercurialibus donum (2). Huc etiam referendus &c.

(*a*) Fabr. Inſ. Dom. p. 581. n. LXXXVI. p. 329. n. 485. p. 734 n. 459. p. 272. n. 150

(*b*) Fer. Stor. di Comac. lib. III. c. 31. Montf. Diar. Ital. p. 99. Mur. p. 1881 n. 4.

---

(1) Graeci Grammatici, quae inter legendum notatu digna erant, hoc ſigno ☧ ad oram libri appoſito diſtinguebant; quo indicarent eſſe illa Χρηςα, ſeu Χρησιμα, *bona*, *utilia*, digna quae excerperentur: At quae mala, ſpuria, & *obelo* digna, litterâ X ſolâ ſignabant, atque hoc ipſum vocabant χιαζειν; quemadmodum proditum eſt Athenienſes, ut ſuum adverſus Chios odium teſtarentur littera X ſignaſſe numos eos, quos adulterinos, ac rejiciendos putabant. Vide Vitry in Tum. Fl. Clementis.

(2)

DN. ISIDORO BLANCO

MONACHO CAMALDULENSI

S. P. D.

ANDREAS RUBBIUS S. J.

HAbes ex me V. C. veterem Inſcriptionem Graecam, quam Ravennae in ſuo Κειμηλίῳ *locavit Nicolaus Farſettus Archiepiſcopus. Manca eſt Inſcriptio, ut videtur, & primas litteras in primis verſibus, & extremas in omnibus delevit antiquitas, quas ego nuper ſupplere conſtitui, tibique opus omne, ut cupis, mittere, quod ut corrigas, etiam atque etiam abs te peto. Scias igitur, quatriduum me Ravennae relaxandi animi cauſſa moratum eſſe, quo tempore ea omnia percurri diligentiſſime, quae & oculos paſcere vetuſtate, & mentem exſaturare eruditione potuerunt. Ducem, ſeu potius Magiſtrum Zirardiniam habui eruditum hominem, tibique in primis cariſſimum, qui me, & excepit humaniter, & illud omne docuit, quod ad litteras pertinebat, neque quidquam omiſit, quod me delectaret; qua de re me tibi plurimum debere fateor. Itaque inter plurima monumenta, quae illa in Urbe extant titulis inſcripta ea legi libentiſſime, quae in* Μουσείῳ *Archiepiſcopali publice adſervantur. Epitaphium Graecum ibi eſt, ut ſcis, quod Iſaacius Exarchus puerulo poſuit fratris filio, Hoc memineram alias legiſſe, & interpretatum eſſe. Nunc adjectis animadverſionibus abſolutum opus, & ad unguem, ut ita dicam, caſtigatum ad te mitto. Eorum omnium quae addidi, rationem mox reddam. Interim Inſcriptionem primo lege decurtatam, ut marmore con-*

tinetur; deinde perfectam a me, quam ad litte ram Latine verti non ſolum, ſed etiam Jambicis verſib us ſcripſi.

. . . . . ЄΝCωΜΑΚΡΥΠΤЄΤΑΙΚΑΤ . . .
. . . . . C ΤΟΘЄΙΟΝΗΨΥΧΗΜЄΙ . . .
. . . . . ωCΑΦΘΑΡΤΟΝΟΤΡΑΝωCΒΛ . . .
. . . . . ΟCΦΥΓΟΥCΑΤΗCΑΜΑΡΤΙΑ . . .
. . . .)ΥΤΟCΗΝЄΤωΝωCЄΝΔЄ . . .
. . . . ΑΠΛΟΥCЄΥΓЄΝΗCΓΛΥΚΥCΛ . . .
ΟΝΙCΑΑΚΙΟCΟCΤΙCЄΞΑΡΧΟCΜЄΓΑC
ЄΡΓΟΙCЄΔЄΙΧΘΗΤωΝΙΤΑΛωΝCΤΡΑΤЄΥΜΑ . . .
ЄΚΛΑΥCЄΠΙΚΡωCЄΚΒΑΘΟΥCΤΗCΚΑΡΔΙΑ . . .
ωCΠΡΟCΠΑΤΡΟCΜЄΝΘЄΙΟCΑΥΤΟΥΤΥΓΧΑΝω . .
ЄΧωΝΔЄΠΡΟCΑΥΤΟΝCΠΛΑΓΧΝΑΠΑΤΡΙΚΟΥΠΟΘ.

ΕΝΤΑΥΘΑ ΤΟ ΜΕΝ ΣΩΜΑ ΚΡΥΠΤΕΤΑΙ ΚΑΤΩ
ΟΙΚΕΙ Δ'ΑΝΩ ΠΡΟΣ ΤΟ ΘΕΙΟΝ ΗΨΥΧΗ ΜΕΙΚΑΡΟΣ
ΦΩΚΑ ΜΕΤΑ ΦΩΣ ΑΦΘΑΡΤΟΝ Ο ΤΡΑΝΩΣ ΒΛΕΠΕΙ
ΕΠΕΙΔΕ ΑΙΣΧΟΣ ΦΥΓΟΥΣΑ ΤΗΣ ΑΜΑΡΤΙΑΣ
ΜΟΛΙΣΓΕ ΓΑΡ ΟΥΤΟΣ ΗΝ ΕΤΩΝ ΩΣ ΕΝΔΕΚΑ
ΗΔΥΛΟΓΟΣ ΑΠΛΟΥΣ ΕΥΓΕΝΗΣ ΓΛΥΚΥΣ ΛΙΑΝ
ΟΝ ΙΣΑΑΚΙΟΣ ΟΣΤΙΣ ΕΞΑΡΚΟΣ ΜΕΓΑΣ
ΕΡΓΟΙΣ ΕΔΕΙΧΘΗ ΤΩΝ ΙΤΑΛΩΝ ΣΤΡΑΤΕΥΜΑΤΩΝ
ΕΚΛΑΥΣΕ ΠΙΚΡΩΣ ΕΚ ΒΑΘΟΥΣ ΤΗΣ ΚΑΡΔΙΑΣ
ΩΣ ΠΡΟΣ ΠΑΤΡΟΣ ΜΕΝ ΘΕΙΟΣ ΑΥΤΟΥ ΤΥΓΧΑΝΩΝ
ΕΧΩΝ ΔΕ ΠΡΟΣ ΑΥΤΟΝ ΣΠΛΑΓΧΝΑ ΠΑΤΡΙΚΟΥ ΠΟΘΟΥ

Hic

Hic corpus tegitur deorſum
Habitat autem ſurſum ante Deum anima pueri
Phocae inter lucem incorruptam quam palam videt
Eo quod ſordes fugit peccati.
Vix enim hic erat ad annos circiter undecim
Suavi loquens, ingenuus, nobilis, amabilis valde,
Quem Iſaacius qui Exarchus magnus
Operibus apparuit Italorum exercituum
Flevit amare ab imo cordis
Ut pote Patruus ejus
Habens erga ipſum viſcera paterni amoris

J A M B I.

Phocae ſub iſto conteguntur marmore
Oſſa, at beatus ante ſuperos ſpiritus
Manet, & aeterna nitens luce fruitur,
Vitae integer, culpaeque purus, quam oderat:
Vix namque Puer annorum erat prope undecim
Suaviloquus, & charus, ingenuus, & inclytus,
Quem magnus ille Exarchus Iſaacius
Armata qui Italorum agebat agmina,
Crebris ademptum ſibi & amaris lacrumis
Deflevit, ut quem ipſis amabat mage oculis
Patruus licet, dulcem velut natum parens.

Tria mihi propoſui V. C. cum mutilam Inſcriptionem hanc ſupplere mecum ſtatui. Alterum quod ſenſui congrueret: alterum quod verſus Jambici numerum expleret; tertium denique, quod nec plures, nec pauciores litterae interponerentur, quam intervalla interjecta fer-

 rent,

rent, idque difficilimum viſum eſt. Sed de hoc tu videris. Ignotum erat nomen Pueruli, quem Phocam appellavi. Hoc & Graecum eſt, &, quod minime ignoras, cognitum illis temporibus, & in uſu fortaſſe apud illuſtres viros. Ad verſus quod attinet, hos Jambicos eſſe quis neget? Nam & ſtylus, qui elegans eſt, & verborum apta diſpoſitio, & conformatio omnem prorſus dubitationem tollit. Pedes qui adhibentur ad Jambicos ſenarios plures ſunt (excipe Jambum pedibus omnibus communem, atque in poſtremo neceſſarium) non enim reſpuunt in primo, tertio, ac quinto pede Spondaeos, Anapaeſtos, Tribrachos, aut Dactylos. Intervalla metitus ſum diligenter, & ex iis, quae adhuc remanent, litterulis compertum mihi fuit, novem aut decem litteras in quatuor primis verſibus deſiderari, in quinto novem, vel octo; quatuor vero vel quinque, in ſexto, quae omnia, ut potui, explere curavi. Tu interim veniam dabis, Iſidore Optime, ſi quid minus apte egimus in re incerta, & obſcura, quae litteratorum hominum ingenia hactenus defatigavit. Caeterum haec Inſcriptio nihil aliud, ut reor, nos docet, niſi quod Puer iſte obierit imperante Heraclio, & Ravennae Exarchatum regente Iſaacio Patricio, ab anno ſcilicet Reparatae Salutis 619. ad 642., quo ſane tempore Iſaacius Pueri Patruus Exarchus fuit. Porro hoc idem Fragmentum refert, ut noſti, Bernardus de Montfaucon in Diario Italico cap. 7. Sed, niſi quid me fallit, hallucinatum puto hoc in loco praeproperum Viatorem. Quomodo enim in primo verſu σώματι legit, non σῶμα. In ſecundo μελεῖτω contra Jambici verſus legem, qui Jambum ſibi poſtulat in poſtremo pede? In quinto deſunt fragmenta duarum litterarum, ut apparet ex ἀρχετύπῳ. Haec Graecos verſus reſpiciunt. Plura vero in Latinis commentus eſt Montfauconius, quae plauſu fortaſſis excipi nequeunt. Quomodo enim κάτω vertit ſeorſum? *Et in quarto verſu* ος *reddit* quia? *Neque* ἁπλοῦς, εὐγενὴς, γλυκὺς, *recte explicavit, meo quidem judicio* ſimplex, liberalis, manſuetus. *Petere etiam ab ipſo poſſumus*

ſumus cur minime in tertio verſu explicaverit vocabulum τραυῶς . *In eodem verſu fateor me ignorare rationem, cur ipſe verterit* B, conſequta eſt, *& in quarto interpoſuerit vocabulum* imperium . *Denique qua de cauſſa vir eruditiſſimus non omnia reſtituit carmina, quae vetuſtas obliteravit, cum ſupplendi onus ſibi impoſuerit? Caeteris libenter aſſentior, maximeque etiam a me Montfauconii opinio probatur, quae ſuadet duodecimum verſum, ſeu primum in Inſcriptione deſiderari. Ille enim Poeta, qui Iſaacio Epitaphium ſcripſit, idem dicendus eſt antea fratris Filio ſcripſiſſe, hoc & verborum carminumque ſtructura alteri pene ſimilis, & ſtyli ſuavitas non omnino videtur diſſuadere. Quod ſi ita eſt, duodena ibi quoque carmina fuiſſe, tu idem ſubſpicari poteris. Ego undecim, quae extant, ſolummodo protuli; neque enim meum erat nova temere fingere. Haec de Montfauconio, cujus quidem doctrinam & eruditionem vehementer ſuſpicio,*

inque ſuis nunc
Fixa pedum pono preſſis veſtigia ſignis
Non ita certandi cupidus, quam propter amorem,
Quod illum imitari aveo. *Tu, ut inſtituiſti, me diligas, rogo, proprieque tuum eſſe tibi perſuadeas. Vale.*

Arimino Kal. Novem. MDCCLXIV.

P. S. Muratorius, quem, ſi libuerit, conſules, hoc idem monumentum refert pag. MDCCCLXXXI. 4. *nomen Gregorii puerulo impoſuit. Quid, ſi verſus Iambicus tunc claudicet? Trochaeum ſeu Choraeum numquam legi in primo pede, quod meminerim. De caeteris te judicem conſtituo. Addit idem Muratorius „ Iſaacius Exarchus floruit Ravennae anno Chriſti* 630. „ *quod quidem ſic intelligo, ut mediam quodammodo Exarchatus dignitatem obtineret. Ipſe enim Scriptor in Annalibus Italiae ad annum Chriſti* 644. *in re implicatus haeret, ut fatetur, neque quo anno Iſaacius obierit, poteſt ſtatuere. Sed de hoc agam libentius, cum ejuſdem Iſaacii Epitaphium, ſuperis annuentibus, explicare conabor.*

Pag. 279.

Pag. 279. lin. 5. occuparunt : *adde*. (*)

Graecos Monachos hoc anno in Monaſterio S. Sabae fuiſſe firmari fortaſſe poſſet Joannis Nepeſini Epiſcopi Epitaphio, quod exhibuit Baronius, illuſtravit Corſinius. *In Eccleſia Monaſterii S. Sabae Romae poſiti*, inquit Baronius (a), *adhuc extat inſcriptio his verbis, atque notis marmore inciſa*.

(a) Bar. ad an. Chr. 770.

Hoc humata jacent Johannis membra ſepulcro
Qui Nepe fuerat Praeſul in Urbe quidem
Ne Nepa ſaeva ſibi noceat ſuccurre Redemptor
Et quae contraxit crimina . . . .
Nempe loco ſancto voluit ſepelirier iſto
Quo per hos ſanctos inveniat Requiem
Extenſum per Θ. P. Q. E. Δ. *connexa*
Chriſti annum monſtrant quo tranſiit iſte Sacerdos
obiit in Pace II. KL. NOV.
ΕΨΟΙ.

Si colligantur numeri quinque harum litterarum partim latinarum, partim Graecarum fiunt anni 770. Poſtrema ita interpretatur Corſinius (b). Ετȣς ΨΟΙ. *anno* 771. *Etenim* 22. *Octobris die, qua apud Romanos adhuc annus agebatur* 770. *apud Graecos, qui S. Sabae Monaſterium incolebant annus* 771. *a Septembribus Kalendis inchoatus numerari jam coeperat; ideoque Monachus ille, qui latinae inſcriptioni numerales Graecorum notas ſubjecit, annumque permixtis antea Latinorum Graecorumque notis expreſſum, ſolis deinde Graecorum characteribus indicare voluit, anni principium, ac numerum, non latino, ſed Graeco potius more deduxit, quamvis in caeteris monumentis omnibus, etiam in latio exaratis, annorum numerum Graeci non a Chriſto nato, ſed ab Orbe condito, ratione ſuperius expoſita ducere, vel deſignare conſueverint*. Ingenioſa haec fateor; at cum, ut alia omittam, Graecum S. Sabae Monachum haec ſcripſiſſe, non certo conſtet, dubio teſtimonio non utar.

Θ	— 9
P	— 7
Q	500
E	250
Δ	— 4

(b) Corſ. app. ad not. Graec. diſſ. III. pag. LV.

Pag.281. vel ipſo anno : *Adde* (1)

Cluniacenſes hoc ipſo anno 1145., eo Arnaldiſtarum tumultu, quo Eugenius Pontifex tertio electionis ſuae die Urbe excedere coactus eſt, S. Sabae ejectos, ex Petri Venerabilis Abbatis Romam adventu, ejuſdemque in ea hoſpitio conjecturam facio. Video enim Petrum Urbem initio Pontificatus Eugenii ingreſſum, non ad Monaſterium S. Sabae, ad Cluniacenſes ſuos uti par erat, atque uti ſane feciſſet, ſi locum hunc tenuiſſent: ſed ad S. Mariam Novam divertiſſe. *In primordiis*, inquit (*a*) *Pontificatus Domini Papae Eugenii, ad viſitandum tam ipſum, quam communem matrem Romanam Eccleſiam Romam adii. Illuc perveniens apud Cardinalatum S. Mariae Novae, quod juxta antiquum Romuli Templum conſtructum eſt, hoſpitium ſuſcepi*. Petri ad Urbem adventus, vel hoc anno, quo illum collocat Baronius, vel ſequentis initio contigit. Serius protrahi nequit, idem enim alio in loco teſtatur (*b*), ſe hoc ipſo primo Eugenii anno Romae fuiſſe: *videram eum* (Eugenium) *primo anno Apoſtolatus ipſius Romae*; *poſtea videram Cluniaci &c.* Eugenius porro, ut dixi, 3. Kal. Mart. an.1145. Pontifex creatus eſt. Adde quod novis Arnaldiſtarum motibus exagitatus Eugenius, paucis poſtquam redierat menſibus, Urbe iterum excedere coactus eſt, quam Italia, & Gallia peragrata anno tantum 1149. reviſit. Sed nec citius Decembri anni 1145. Petri adventus ſtatuendus. Nam Eugenius, ut dicebam, Roma tertio electionis ſuae die elapſus, atque in Farfenſi Abbatia conſecratus Viterbium ſe contulit; neque illinc ante Decembrem hujuſce anni Romam rediit. Vetrallae morabatur initio hujus menſis, uti teſtantur ejuſdem litterae ad Ludovicum Gallorum Regem datae *Kal. Dec. Vetrallae*, quas recitat Baronius. Decembri exeunte Romae aderat, ſiquidem Natalem Domini diem Romae celebravit, uti ex Ottone Friſingenſi refert Baronius: *At Eugenius cum Romanis hoc tempore pacem fecit, ut Patriciatus dignitatem exfeſtucarent, & Praefectum in priſtinam dignitatem reciperent. Senatores vero ex ejus auctoritate tenerent*:

(*a*) Pet. Clun. lib. 2. Mir. c. 25.

(*b*) Lib. VI. ep. 47.

rent; ſicque in Urbem rediens Nativitatem Domini ibidem celebravit, incipiente anno Dominicae Incarnationis milleſimo centeſimo quadrageſimo ſexto, iis ſcilicet, qui annum ab ipſa Dominicae Nativitatis die exordiebantur; reliquis, qui a Kal. Januar. inchoabant, exeunte anno milleſimo centeſimo quadrageſimo quinto. His ita animadverſis Romam adiit Petrus, vel ſub exitum anni 1145., vel ineunte 1146. cumque apud Cluniacenſes ſuos, quos idem Romam miſerat, in S. Sabae Monaſterio exceptus hoſpitio non ſit, eoſdem ex Monaſterio, priori Arnaldiſtarum tumultu ejectos fuiſſe non temere fortaſſe ſuſpicor.

INSCRIPTIONES
ANTIQUAE
EX BIBLIOTHECA
MONACHORUM CAMALDULENSIUM
S. GREGORII IN MONTE COELIO.

MAURUS SARTIUS
ABBAS CAMALDULENSIS
V. CL. GASPARI ODERICIO
SOC. JESU
S. P. D.

GRatulor tibi majorem in modum, V. Cl., quod conſilium cœperis vulgandi, & illuſtrandi Inſcriptiones antiquas benè multas, his proximis temporibus repertas, ac nondum editas, quae res & magnam tibi gratiam apud antiquitatis amatores conciliabit, & ad augendam, quam de te homines habent, non vulgaris eruditionis & doctrinae opinionem, valebit plurimum. Sed illud mihi permoleſtum accidit, quod non ante ullus ejus rei rumor ad me pervenerit, quam perfecta typorum opera, tuus liber prope jam in lucem exiret. Nam ſiquid antea ea de re ſuboluiſſet, petiiſſem a te pro noſtra veteri amicitia, ut paucas aliquot Inſcriptiones, quas ego quoque e ter-

rae viſceribus erutas, atque a lapicidarum ſcalpro redemptas, collegeram, & in Monaſterii mei Bibliotheca collocaveram, in tuarum cenſum receptas, & quaſi jam tuas, tuiſque animadverſionibus ornatas, in publicum emitteres. Sed quoniam id nulla ratione jam perfici poteſt, id unum ſperare nunc licet; ut Inſcriptiones iſtas extra ordinem, & quaſi mantiſſae loco ad libri tui calcem adjungendas patiaris. Id ego te etiam atque etiam rogo, & ne optatiſſimi libri tui expectatione viri docti diutius fatigentur, Clementi Blaſio, & Franciſco Sandrio Monachis meis, qui Sacrae Theologiae ſtudiis in hoc Monaſterio incumbunt, negotium dedi, ut his Bacchanalium diebus, quibus ab Scholae muneribus ceſſatur, eas diligenter ad autographorum fidem exſcriberent: & quoniam uterque eſt elegantiarum literarum cupidus, & antiquitatis ſtudioſus, ſi quid in promptu haberent, quod ad eas utcumque illuſtrandas pertinere videretur, id paucis verbis ad ſingulas adnotarent. Itaque Blaſius quidem Latinas ſibi ſumpſit, Sandrius autem Graecas, utrique autem apprime glorioſum erit, ſi, quemadmodum ſpero, primos hoſce, licet exiguos in re antiquaria conatus, te auſpice, & cum eruditiſſimis Commentariis tuis in publicum prodire non abnuas. Vale.

Ex Monaſterio SS. Andreae, & Gregorii in Monte Coelio XI. Kal. Martii MDCCLXV.

BENE-

BENEVOLO LECTORI
CLEMENS BLASIUS
MONACHUS CAMALDULENSIS.

DUbium mihi non eſt, quin hic etiam, ut in coeteris Inſtituti Benedictini Monaſteriis (a) Bibliotheca fuerit optimis Codicibus inſtructa, & ab ipſo Monaſterii Fundatore S. Gregorio M. condita. Eam poſtmodum refecit Agapetus, neſcio quis Epiſcopus, ut intelligimus ex his verſiculis, quos vulgavit Mabillonius (b) ex Membranis Einſidlenſibus, & poſt Mabillonium Muratorius (c), & alii fortaſſe.

(a) Meminit Bibliothecae Monaſterii S. Benedictus cap. 48.

(b) Veter. Analect. pag. 362.

(c) Pag. MDCCCXXII. n. 1.

In Bibliotheca S. Gregorii, quae eſt in Monaſterio
Clivi-Tauri (*d*), ubi ipſe Dialogos ſcripſit.

(*d*) *Lege* Clivi-Scauri.

„ *Sanctorum veneranda cohors ſedet ordine* longo
„ *Divinae legis myſtica dicta docens*
„ *Hos inter reſidens Agapetus jure Sacerdos*
„ *Codicibus pulchrum condidit arte locum.*
„ *Gratia par cunctis, ſanctus labor omnibus unus*
„ *Diſſona verba quidem, ſed tamen una fides.*

Haec porro Bibliotheca extabat adhuc ſaeculo Chriſti ſaltem X., ut ex laudato Mabillonio perſpicuum eſt (e). Sed temporum infelicitati tandem ceſſit, ita ut per plura ſaecula ne veſtigium quidem ſuperfuerit. Verum noſtris temporibus, reparatis jam Templo & Monachorum aedibus, de Bibliotheca etiam cogitatum eſt. Itaque praeter illuſtriorum Authorum opera jam conquiſita, & quae identidem conquiruntur, nonnulla etiam vetera monumenta tum in ipſa Bibliotheca, tum in ejus atriolo collocata ſunt, ut ſtudioſa juventus ad venerandae antiquitatis amorem excitetur, & magnum ex iis praeſidium ad litterarum ſtudia quaerendum eſſe facile intelligat.

(e) Vid. ipſius Monitum ad antiquam collectionem veter. Inſcript. pag. 358. veter. Analect.

Haec

Haec ſunt, quae modo in publicam lucem proferuntur. Quae in hiſce monumentis occurrunt ab aliis jam pertractata non attingemus. Si vero non omnia explicabimus, quae illuſtratione digna videbuntur, ſcias oportet ea tantummodo a nobis dicta, quae per maximas temporis anguſtias dici potuerunt. Nam Monaldinius de litteraria Republica admodum ſollicitus pati non poterat, ut antiquitatum amatores diutius expectarent Inſcriptiones a Cl. V. Gaſpare Odericio S. J. illuſtratas, & jam e typis egreſſas, quibus noſtras adjungi idem Cl. V. Odericius pro ſua ſingulari humanitate dedignatus non eſt. Haec praemonuiſſe ſatis, ne (*quod ait Spartianus*) enormior ſit prologus, quam fabula. *Vale.*

INSCRI-

INSCRIPTIONES GENTILIUM.

I.


IOVI. OPTIMO. MAXIMO. ET. IVNONI. REGINAE. MINERVAE.
AVG. ET. GENIO. LOCI. IPSIVS
T. FLAVIVS. T. F. QVIR. VESTINVS. CVM. T. FLAVIO. VE-
STINO. FILIO SVO. AEDE
VETVSTATE. DILAPSA. A. SOLO. EX VISO. SVA. PECVNIA.
REFECERVNT. DEDICATA
IMP. CAES. HADRIANO. ANTONINO. AVG. PIO. II. ET.
C. BRVTTIO. PRAESENTE COS

Ignotum fuit Blanchino & Stampae, aliiſque hujus Conſulis praenomen, qui cum Antonino Pio proceſſit. Id obſervavit etiam Muratorius ad Inſcript. 6. p. 326., cum qua & noſtra conſentit. Jamvero de hoc Conſulatu oritur difficultas non contemnenda. Etenim in noſtro Lapide C. Bruttius Praeſens ſine ulla iterati Conſulatus nota exprimitur, in duabus autem inſcriptionibus a Muratorio editis (a) cum eodem Antonino Pio Coſ. II, etiam C. Bruttius Praeſens Coſ. II legitur. Si in Muratorianis conſiſtere velimus, jam ante annum CXXXIX. quo hi Conſules fuere, C. Bruttius Praeſens primum Conſulatum geſſerit oportet; & tamen in Faſtis ante hunc annum C. Bruttius Praeſens non recenſetur. Neceſſe eſt ergo, ut vel fides Muratorianis Inſcriptionibus non adhibeatur, vel in Faſtis primum, & in noſtro monumento ſecundum C. Bruttii Praeſentis Conſulatum omiſſum eſſe fateamur.

(a) Mur. pag. 326.

II.

II.



(a) Grut. p. 50. n. 2.


Inſcriptionem hanc protulit etiam Gruterus (*a*) ex Smetio, qui exſcripſit VEI DVMNIANVS. At ſemel atque iterum lapidem inſpexi, & VE(DVMNIMIVS legendum eſſe comperi. Praeter hanc nullam aliam vidi inſcriptionem, in qua de Hercule Argivo mentio fiat. Hercules porro Argivus dictus, quod a Graecis coleretur, Alcmenae filius fuit, & κατ' Οἰδίποδα μάλι-

ςα

ϛα τ͂ Λαΐȣ, *cum Oedipo Lai filio circiter* vixit, nimirum quinta aetate a Cadmo, ut narrat Arrianus *(a)*, quod etiam confirmat Diodorus Siculus *(b)*. Ab Arriano diſſentit author ille, quem deſcripſit Stephanus, vel contraxit Hermolaus in voce Θάσος, ubi nona a Cadmo aetate Herculem Argivum vixiſſe colligit. Videſis Herodotum *(c)*, Arrianum *(d)*, Varronem *(e)*, & Servium *(f)*.

(a) Arrian. lib. II.
(b) Diod. Sic. lib. IV. cap. 12.
(c) Herodot. in Euterpe cap. 145. & Terpſic. c. 60.
(d) Arrian. lib. II.
(e) Varr. de Ling. Lat. lib. IV.
(f) Serv. ad lib. IX. AEneid.

III.



Rariſſima eſt hujuſmodi Inſcriptio. Vix enim altera ſimilis profertur a Sponio *(a)*, quae hujuſmodi eſt:

(a) Spon. Miſcell. Erudit. Antiquit. p. 107.

SVLEVIS ET CAMPESTRIBVS
SACRVM. T. AVRELIVS. QVINTVS
7. LEG. VII.: GEMINAE VOTVM
SOLVIT LAETVS LIBENS DEDICAVIT
VIII. KAL. SEPTEMBRES BRADVA ET
VARO COSS.

Obmuteſco in his Numinum monſtris, inquit ibidem laudat. Author. Obmuteſco & ego; ſed tamen lucem aliquam mihi affulgere videor ex ipſa Sponii Inſcriptione, quam indicavi: Et, ſi quid ſentio, ſtatui poteſt noſtrum monumentum *Sylveſtribus Deabus* fuiſſe dicatum. Etenim vetuſtiſſimis Romanorum temporibus litera V vicem gerebat alterius literae Y. Ita uſurpabant vocem SVRIA pro SYRIA, AEGVPTVS pro AEGYPTVS, & alia hujus generis exempla bene multa nobis ſuppeditant inſcripti lapides & numiſmata. Primo igitur pro SVLEVIS legam SYLEVIS. Jamvero in veteribus Inſcriptionibus vocales literae non ſemel redundant, atque, ut aliis omiſſis, exemplum afferam, quod meam cauſam juvat, in quodam monumento apud Reineſium *(b)*, & Muratorium *(c)* leguntur haec verba: GELORIAM, FACOLETATEM. Quamobrem in voce SYLEVIS dempta litera E fiet SYLVIS. Sed praeterea mutatio literae E in I veteribus uſitatiſſima fuit. Itaque pro SYLVIS erit SYLVES. Rebus ita conſtitutis redeo ad Sponii Inſcriptionem. Ea inſculpta erat in baſi, ſupra quam ſedebant tres foeminae, ibique aderant viri ſagati verrem ſacrificantes. Hinc ſuſpicari poſſumus tres illas foeminas eſſe *Sylvarum & Camporum Deas*, *Dryades & Lemoniades* ita dictas, quod ἐν λειμῶσι, hoc eſt *in campis* verſabantur, ut tradit Eſychius, adeoque ita legendum

(b) Reineſ. pag. 9.
(c) Mur. pag. 1909. n. 5.

dum eſſe: SYLVESTRIBVS ET CAMPESTRIBVS (DEABVS) SACRVM. Itaque, ſi haec conjectura ſeſe ſuſtineat, quemadmodum in alia inſcriptione apud eumdem Sponium (*a*) legitur dumtaxat: CAMPESTRIBVS; ita & noſtrum monumentum SYLVESTRIBVS (DEABVS) tantummodo SACR. dici poterit.

(*a*) Spon. ibid.

Sed certe non deerunt, qui dicant literarum mutationes a me propoſitas, & ſi pro arbitrio non excogitatas, hîc locum ſibi jure non vindicare: & contendant, ea voce SVLEVIS peculiaria quaedam ac certa Numina indicari, cûm ea vox tum in Sponiana, tum in noſtra Inſcriptione eodem prorſus modo ſcripta legatur. Ut his ſatisfaciam, redeam iterum ad Sponii monumentum; nam ſi quid adhuc de noſtro dici poteſt, ex illo ſane erui potiſſimum debet, ut ex iis quae cognita ſunt, ignota minus improſpere illuſtremus: I. In eo igitur SVLEVI, vel SVLEVAE ſimul junguntur. Ergo veriſimile omnino eſt, haec Numina ejuſdem fere generis fuiſſe. Ita enim plerumque erant Dii Ὁμωχέται & Σύνναοι dicti, qui ſimul colebantur, & quibus una eademque ara communis erat; ut *Jupiter* cum *Junone Regina*; *Mars* cum *Minerva*; *Aeſculapius* cum *Hygia*; *Hercules* cum *Sylvano*; *Sylvanus* cum *Nymphis* &c. Quare Deos, qui latent ſub illa voce SVLVEIS cum CAMPESTRIBVS cognationem habuiſſe opinari licet. Ergo illi Dii erunt terreſtres. II. Conjecturam hanc magnopere auget Sacrificium illud verris, quod in eodem Sponii monumento expreſſum erat. Etenim hoc animal Terrae ſacrificabatur, ut ex illo Horatii (*b*) verſiculo:

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,

atque ex Arnobio (*c*), Macrobio (*d*). Idem ſacrificium fiebat aliis terreſtribus Diis, ut Cereri (*e*), Sylvano (*f*), & Deo Termino (*g*). Praeterea in quodam monumento Muſaei Veronen. Nymphis dicato inſculpta cernitur porca cum inſtrumentis ad ſacrificium pertinentibus. III. Graeca vox Σύλη latine redditur *praeda* maxime (ut quidam volunt) in ſylva capta, a σὺν & ὕλη. Non repugnat

(*b*) Horat. lib. II. Ep.
(*c*) Arnob. lib. VII.
(*d*) Macrob. Saturn. lib. I. cap. 12.
(*e*) Ovid. lib I. Faſt. v. 349. & 672.
(*f*) Juven. Satyr. 8. v. 447.
(*g*) Ovid. lib. II. v. 655.

pugnat ergo a voce Σύλη deductam eſſe aliam SVLEVIS. Porro in ſaepius laudato Sponii monumento qui ſacrificant, ſunt milites; qui monumentum poſuit, pariter eſt miles. In noſtro quoque habemus militem in *Marcello Duplario*. Ethnicorum Religio flagitabat, ut omnibus rebus & actionibus Numina praeeſſe crederent. Num ergo per vocem SVLEVIS indicantur ea Numina, quae Milites ad praedas in ſylvis capiendas ſibi propitiam crederent? Hae ſunt conjecturae, quas modo, in re tam obſcura, e Sponii monumento elici poſſe mihi viſum eſt.

IV.

CN. SENTIVS SATVRNINVS
C. CLODIVS . LICINVS COS
TERMINAVERVNT . LOCVM
PVBLICVM . AB . PRIVATO

Eſt in praegrandi cippo ex lapide Tiburte, qui anno MDCCLXIV. erutus eſt in vinea quadam citra Doliolum, ſive ut vulgo nunc dicitur, *Teſtaccio*, qui locus erat extra Urbem, antequam nova moenia ſub Aureliano conſtruerentur.

C. CLODIVS = Anno Chriſti XLI. Coſs. proceſſerunt C. Caligula IV., & Cn. Sentius Saturninus. Sed Cajus vix inito Conſulatu abdicavit nimirum VII. Idus Januar. (*a*); eique ſuffectus eſt, vel C. Clodius Licinus, non aliunde, quam ex hac Inſcriptione notus, vel Pomponius Secundus. Pomponius Conſul erat cum Saturnino ad diem IX. Kalend. Februar. cum Cajus occiſus eſt (*b*); ut habemus ex Dione (*c*), & Joſepho (*d*), aliiſque probatis Authoribus. Sed ignoramus utrum ſuffectus fuerit Cajo ipſi paulo poſt initum Conſulatum abdicanti, an Clodio Licino; nihil enim impedit, quominus Clodius

(*a*) Sveton. in Cajo cap. XVII.

(*b*) Svet. in Calig. cap. LVIII.

(*c*) Dion. lib. XXXIX.

(*d*) Joſeph. lib. II. de Bell. Jud.

dius Licinus, abdicante Cajo, Conſulatum paucorum dierum geſſerit, & fuerit exauctoratus ab eo Principe, qui per ſummam libidinem & inconſtantiam Imperium adminiſtrabat, ac deinde Saturninus ſucceſsorem in Conſulatu habuerit Pomponium Secundum.

TERMINAVERVNT &c. Ut modus poneretur controverſiis, quae de *finibus* oriri poſſent, Lex XII. Tab. tres Arbitros dedit, ſingulos Lex Manilia, atque hi *Arbitri finium regundorum* ex S. C. *cauſas cognoſcebant*, ut conſtat ex celeberrimo decreto *Arbitrum finium regundorum* inter Genuates, & Vecturios apud Gruterum (*a*), Fulvium Urſinum (*b*), & Briſſonium (*c*). Deleta autem Repub. ipſi Imperatores hujus generis lites componebant, ut narrat Svetonius de Auguſto (*d*), & Domitiano (*e*): atque ut demonſtrant tres Gruterianae Inſcriptiones (*f*). Eodem munere functi ſunt etiam Conſules, ut ex noſtro Lapide, & ex aliis fortaſſe. Deinde *Curatores Locorum publ. judicandorum* ad idem officium inſtituti ſunt, quos pariter ex S. C. *cauſas cognoviſſe*, & Vviros fuiſſe colligitur ex uno & altero monumento apud eumdem Gruterum. Habes ergo ſeriem eorum, ad quos variis temporibus earumdem *cauſarum cognitio* pertinuit.

(*a*) Grut. p. CCII.
(*b*) *Inter leg.* & S.C. *ab ipſo illuſtrata.*
(*c*) Briſſon. lib. V. *de Formulis &c.*
(*d*) Svet. c. XXXII.
(*e*) Id. cap. IX.
(*f*) Grut. Inſcr. p. CC. n. 1. 2. & 3.

Jamvero ex hoc aureae latinitatis monumento aliquid proficient Romanae linguae ſtudioſi. Nam terminandi quidem verbum uſitatiſſimum eſt, ubi de finibus regundis agitur, idemque eſt *terminare* ac terminos ponere, ſed *terminare locum unum ab altero*, ut ſit fines inter locum & locum ponere, hoc mihi inauditum fuerat, nec formulam hanc uſquam reperire potui.

LOCVM PVBLICVM = Ex loco, ubi erutus eſt hic cippus terminalis conjicere poſſumus, eo uſque prolatum fuiſſe Pomoerium Urbis. Erat autem Pomoerium locus publicus, muris Urbis adjacens, & ſecretus a privatorum poſſeſsionibus. Itaque Conſules iſti terminos poſuerunt inter *locum publicum* & *privatum*, hoc eſt inter Pomoerium Urbis, & privatorum fundos ex ea parte Pomoerio conterminos. Sic in monumento Ti. Claudii Druſi F. legimus: POMOERIVM AMPLIAVIT TERMINAVITQVE. apud Grut.

T. TER-


310
D M
T·TERTINIVSMARCIANVS
DECEQSING·IMP·N̄·
NATVS·INGERSVP·MIL
AN·XIIIIVIXITAN·XXXII·
IVL·IVLIANVS·DEC
MVNICEPSETHERENS·
A·O·F·C·
CVMFOΘPVER·CAIV·SEIVS

Anno MDCCLXII. repertus eſt hic lapis cum ſequente & aliis duobus ſimilibus ſecus Viam Labicanam ſupra pontem Turris *Pignattariae* ad II. M. P. Itaque credibile eſt, ibi fuiſſe ſepulchra *Equitum Singularium*, ad quos omnes hi lapides pertinent. In ſuperiore ſingulorum parte ſculptus eſt vir in lectulo recumbens, cui menſula appoſita eſt, ex qua cibos capere videtur, miniſtrante ſervo. Clariſſimus Montfaucon ſimilem lapidem vidit, quem deſcribens, ſedet, inquit, in lecto vir capiens *coenam feralem*: miniſtrat miles, quem haeredem ejus putat: ante lectum eſt tripus cum ferculis (*a*). In eo, quod ait de milite miniſtrante, ipſi aſſentirer, niſi brevis & anguſta veſtis ſervum potius, quam militem commonſtraret. Sed in noſtro lapide puerum, hoc eſt ſervum clare agnoſcimus tum ex iis verbis: CVM EO ☉ PVER CAIVS EIVS; tum ex ipſa brevi & ſuccincta veſte, multum ab ea diſſimili, qua induti ſunt milites in inferiori parte hujus monumenti.

(a) Antiq. Expliq. To. v. Suppl. Pl. xx.

Quidquid autem ſit de Coena ferali, hujuſmodi profecto non eſt ea quae in ſequenti lapide exhibetur.

Nam


D M
VEX
TAVR·VITELLIANO·EQ·
SING·AVG·TVR·VALERI·
NAT·PANN·V·A·XXXMIL·A·
XII·T·AVR·VERVS·FRATRI
PIENTISSIMO·F·C·

Nam *T. Aurelium* in lecto decumbentem , coronam unam geſtare video . Servus autem coronam alteram nec dum in ſertum compoſitam manu ſuſtollit . Haec indicia ſunt hilaris & jucundae coenae . Alia duo monumenta *Equitum Singularium* paulo, ſuperius indicata, ſunt quae ſequuntur:

D. M.
T. FL. IVLIO. SESQ. EQ. SING
AVG. TVR. VLPI. ITALICI. NAT
NORICVS. V. A. XXX. MIL
A. XIII. T. AVRELIVS. VICTORINVS
VIXILARIVS. H̄. ET. FL. FLOREN
TINVS. MIL. CoH. XI. VRBANAE. SEC
H̄. AMICO. OPTIMO. FAC. CVR

Haec illuſtrationem non deſiderant . Animadvertam dumtaxat , in inferiori parte hujus lapidis binos equos inſculptos eſſe . Binos equos habebant *Seſquiplices* , quemadmodum ternos habebant *Decuriones* , ut videre eſt in noſtro monumento *T. Tertinii*. num. v. Alterum hujuſmodi eſt:

D. M.
AVR. GRATO. B. EQ. SING
IMP. N̄. TVRM. EMERITI
FL. SCVLPIS. NAT. BESSVS
VIX. ANN. XXXIII. MIL
ANN. XIII. AVR. VALERIA
NVS. HERES. FRATRI. DVLCIS
SIMO. ET. PIENTISSIMO
CVR. IVL. FELICE. SEC. HER. A. O. F. C

AVR. VALERIANVS &c. Cur hic ſe nominet *fratrem* ſimul & *amicum Aurelii Grati Beneficiarii* &c. , cui

curante Julio Felice ſecundo Herede monumentum fieri curaverit, non inepte colligimus ex Dione Chryſ. (*a*), qui ait: Ἄνευ μὲν γὰρ συγγενείας, οἱ φίλοι χρήσιμοι. ἄνευ δὲ φιλίας οὐδὲ οἱ σφόδρα ἐγγὺς ὠφέλιμοι. *Amici quidem absque cognatione utiles; cognati autem absque amicitia prope inutiles*. Qui ſanguine propinqui ſunt, non ſemper etiam ſuaviſſimo amoris vinculo tenentur. Infinita autem pene ſunt exempla eorum, quibus nihil magis cordi erat, quam ut oſtenderent, ſe vere eos dilexiſſe, quibus monumentum vel ponebant, vel ponendum curabant. Itaque *Aurelius Valerianus* ne de ſuo amore erga Aurelium Gratum ſinat quemquam dubitare, ejus non modo fratrem, ſed amicum etiam ſe appellat. Sed ejuſdem rei aliam rationem excogitavi in adnot. penult. ad ſequens Epitaphium.

(*a*) Dion. pag. 55.

VII.

SANCTINIO PROBINO
MIL. CoH. IIII. PR. P. V. 7 PATRO
ILI. NAT. BATAVS. QVI. MIL
IN. CASTR. PRAET. VSQVE
DIE. QVA. EXEMPTVS. EST. Re
BVS. HVMANIS. STIPENd . . . .
QVI. VIX. ANN. XXII. M . . . .
D. XVII. MEMORIAM FECIT
SANTINIVS. GENIALIS. HE
RES. ET. FRATER. CVRA. AGENT
FL. NOBILE. ET. VERIO. FELICE
QVOS. SECVNDO. HER. INSTITVIT

MIL. COH. IIII. PR. P. V. = Cl. Vir Fabrettus (*b*), Scaligerum, Orſatum, Reineſium, alioſque errare putat, dum P. V. interpretantur *Piae Victricis*, & docet illa ſigla

(*b*) Fabr. c. 3. Antiq. Inſcript.

ſigla ita explicanda eſſe: *Mil. Cohortis . . . Praetoriae Praetoris Urbis*. Equidem tanti viri doctrinam vehementer ſuſpicio; vereor tamen, ne rationes, quas protulit ad ſuam ſententiam firmandam, ſatis validae ſint. Primo enim ait: *Quippe nulla ſimilia honoraria cognomina hiſce Praetoriis, aliiſve Cohortibus tributa uſquam novimus*. Per haec verba: *uſquam novimus* comprehendit Fabrettus tum veteres Scriptores, tum antiqua Cohortium Praetorianarum monumenta. Sed primo ignorare non poterat; ex veteribus monumentis nos didiciſſe plura, de quibus altum eſt ſilentium apud Authores illorum temporum. Deinde, ſi nuſquam in veteribus Epitaphiis expreſſum *Piae Victricis* cognomen apparet; neque profecto illud, quod ipſe vellet *Praetoris Urbis*. Huc uſque major ratio non eſt, cur uno potius, quam altero modo interpretemur literas P. V. At novimus quaſdam Legiones cognominatas fuiſſe *Pias*, alias vero *Victrices*, (qua de re nulla quaeſtio inter eruditos excitata eſt); igitur a veritate non abhorret, quaſdam Cohortes, quae nihil aliud ſunt, quam partes Legionum, cognomen *Piae Victricis* obtinuiſſe. Altera Fabretti ratio eſt: *Quia pluribus Cohortibus commune eſſe videmus*: quod nimirum pluribus Cohortibus addantur literae P. V. Abſurdum ergo cenſet, plures Cohortes cognomen *Piae Victricis* habere potuiſſe. Sed abſurdum quoque ipſi videri debebat, plures Legiones cognominatas fuiſſe *Geminas*. Tandem contendit, eas Cohortes dici debere *Praetorias Praetoris Urbis*, *ad differentiam Cohortium Praetorianarum in Legionibus*, ut apud Gruterum *(a)*, *tum etiam ad diſtinctionem alterius Praetorii extra Italiam*. At vero ad indicandum duplex hoc diſcrimen ſatis profecto erant haec ſigla *Mil. Cobor. . . . . P. V. Praetoriae Urbanae*, ut quiſque videt. Saltem igitur veroſimilior eſt adhuc Scaligeri, Reineſii, & aliorum interpretatio. Neque me movent alia exempla, quibus Cl. Author rationem poſtremo loco adductam confirmare nititur. Nam in eodem genere ſunt, & eodem ſemper redit oratio.

7 PATROILI. = Apud Gruterum *(b)* invenio *Patri-*

(a) Grut. p. 555.

(b) Id. pag. 138. n. 9.

triolum Centurionem Cohortis IV. PR. Utrum idem ſit cum *Patroilo* noſtrae inſcriptionis ita ſane, ut haec eadem Cohors IV. PR. ob aliquod inſigne facinus *Piae Victricis* nomen deinde fuerit conſecuta, aſſerere non auſim.

MIL. COH. IIII. PR. &c. MIL. IN. CASTR. PRAET. Cohortes Praetorias ex Veteranis coaluiſſe innuere videtur Tacitus (*a*), ubi Praetorianos appellat *vires*, & *robur exercitus*, & ſaltem ex ſelectis militibus, ut conſtat ex Plutarcho (*b*). Caſtrorum vero cuſtodiam Veteranis ſpectatae virtutis committi conſueviſſe tradit Dionyſius Halycar. (*c*). Porro Veteranorum nomine vel appellabantur, qui vicena ſtipendia confeciſſent, vel ita dicebantur, ut Tyronibus opponerentur. Cur ergo *Sanctinius Probinus*, qui ad ſummum VII. circiter ſtipendia mereri potuit (ut paullo inferius adnotabo) dicitur *Miles Cohor. IIII. PR*, & dicitur militaſſe in *Caſtris Praetoriis*? Sed haec facile componuntur. Norunt enim R. Antiquitatum periti, labentibus temporibus plura ſancte ſervata non fuiſſe, quae principio recte fuerant conſtituta. Hoc etiam contigiſſe in veteranorum officio antiquae inſcriptiones oſtendunt, in quibus memoria eſt militum, qui militaris vitae rationem militari aetate inierunt, quique paucis annis in Cohortibus Praetoriis militarunt, veluti ann. VI. vel VII. apud Fabrettum (*d*). Hujuſmodi autem militibus Veterani nomen profecto non convenit, quaecumque ſignificatio eidem tribuatur. Praeterea apud Inſcriptionum Collectores habentur monumenta *Veteranorum Cohort. Praetorianarum*, & *Veteranorum ex Coharte Praetoria*. Hoc vero clare oſtendit, non ex ſolis Veteranis hujuſmodi Cohortes fuiſſe compoſitas. De *Caſtris* autem *Praetoriis* & ſi monumenta non habeam, quae commonſtrent eorum cuſtodiam Veteranis fuiſſe commiſſam, nec ne; de iis tamen *Caſtris* eadem ratio eſt, ac de *Praetorianis Cohortibus*, & mos a Dionyſio Halycarnaſs. ſuperius indicatus mutationi obnoxius eſse potuit.

EXEMPTVS. EST. REBVS. HVMANIS. Formula

DE-

(*a*) Tac. Hiſt. lib. I. ſub fin.

(*b*) Plutarc. in Anton.

(*c*) Dion. Halycar. lib. VIII. Ant. Rom.

(*d*) Fabr. cap. III. n. 14. & ibid. n. XVI. Antiq. Inſcript.

DEFVNCTVS EST. rariſſime in Gentilium Epitaphiis occurrit, ominoſa enim iis erat. Itaque qualibet alia utebantur, dummodo ab illa ominoſa abſtinerent, ut oſtendit etiam haec noſtra, quae profecto inter communes & uſitatas collocanda non eſt.

STIPEND. = Si fingamus, *Sanctinium Probinum*, militiae nomen dediſſe aetate in militibus requiſita, ſuppleri poterit STIPEND. V. At quoniam alii ſerius, alii vero & gloriae cupidi, & viribus praeſtantiores ante praefinitam aetatem in militum albo deſcribebantur, idcirco ſtatui non poteſt, quot ſtipendia *Sanctinius Probinus* confecerit. Quoniam vero aliqui, ſed ii perpauci, annorum XIV aut XV, ſi recte memini, inter milites adlecti ſunt, ita VII. aut VIII. ſtipendia ad ſummum *Sanctinio Probino* adſignari poſſent.

SANCTINIVS GENIALIS &c. = Si quis velit, hunc revera fratrem fuiſſe *Sanctinii Probini*, ſumat oportet vocem Sanctinii pro *nomine Gentis*, & utrique praenomen deeſſe fateatur, ut in pluribus Inſcriptionibus animadvertimus. Sed apud Sponium (*a*), eſt hujuſmodi Inſcriptio:

(*a*) Spon. pag. 237. Miſcell. Erudit. Antiquit.

T. AVR. FELICI
EQ. SING. AVG. TVR
VLPI VICTORIS
NAT. CANONE FAS.
V. A. XXVIII. M. II. D. X.
T. AVR. VERAX. VIX (1)
H. AMICO OPTIMO F. C

Hic *T. Aurelius Verax* frater non eſt *T. Aurelii Felicis*, quamvis idem praenomen, & nomen utrique gerant. Igitur fieri poteſt, ut quamvis in noſtra Inſcriptione uterque *Sanctinii* nomen habeat, fratres tamen revera non ſint. Nihilominus tamen ſub appellatione *Fratris* heres recte inſtitutus erit. Etenim, ut inquit Paulus

(1) Vixillarius, ut in prima Inſcript. pag. 313.

lus (a). *Qui frater non eſt, ſi fraterna caritate diligitur, recte cum nomine ſuo ſub appellatione fratris heres inſtituitur*. Nam ſicuti mutuus amor, quem natura inter nutrices & alumnos excitavit, ita eſt vehemens, ut nutrices alumnos ſuos appellaverint filios, & viciſſim alumni matris nomen nutricibus tribuerint; ita merito fratris nuncupatio illi debetur quem fraterno amore proſequimur. Neque vero ſub hoc nomine *fratris* incerta manebit heredis perſona. Etenim *ſi in patre, vel patria, vel alia teſtatoris ſimili aſſumptione falſum ſcriptum eſt, dum de eo, qui demonſtratus ſit, conſtet, inſtitutio valet* (b). Porro *Sanctinius Genialis*, in hac, & *Aur. Valerianus* in alia inſcriptione (c) Teſtatoris nomen praeferunt, quia cum bonis etiam nomen ad illos translatum eſt.

Morem hunc heredis inſtituendi *ſub appellatione fratris* mirifice commendare videtur Inſcriptio *T. Aur. Grati* (d). Etenim certum non eſt, Aurelium Valerianum eſſe fratrem T. Aurelii Grati, licet nomen Gentis utrique commune ſit. Deinde Aurelius Valerianus fratrem ſimul & amicum ſe nominat T. Aurelii Grati. Igitur veroſimilius eſt Aur. Valerianum fuiſſe tantummodo Amicum alterius Aurelii, & quia ab hoc unice diligeretur, ſub *appellatione fratris*, ut loquitur citata lex, *heredem* fuiſſe inſtitutum. Atque haec ratio, meo quidem judicio, magis quam altera ſuperius propoſita (e), hîc locum ſibi vindicat.

QVOS SECVNDO HER. &c. = Hujuſmodi heredes dicebantur etiam *ſubſtituti*, & *Secundi Heredes*, ut etiam in lapide mox deſcripto; & *ſecundo gradu ſcripti* (f), vel *inſtituti* (g), vel *ſecundo loco ſcripti* (h).

Poſtremo obſervandum eſt in hoc monumento, & in aliis duobus (i) curam faciendi ſepulchri *ſecundis heredibus* commiſſam eſse.

(a) Paul. l. Nemo dubitat §. 1. de Hered. inſtit.

(b) L. his verbis 48. in fin. ibid.

(c) Pag. 313.

(d) Pag. 313.

(e) In Adnot. ad Inſcript. T. *Aur. Grati*.

(f) In ff. l. deniq. de hered.

(g) Ibid. l. Titius Sejo.

(h) L. poſtumos ff. de S. C. Silan.

(i) Pag. 313.

TAPI-

VIII.

TAPICIV . . .
T. MEN
SECVNDVS
FELTRIS
MIL. COH. $\overline{\text{X}}$
VRB. 7 RVTI
VIX. AN. . . . .
mil. ann. . . . .
. . . .
. . . .

T. MEN. Hîc locus eſſet *Tribus*. Et quamvis *Tribus* per literam T. indicari non ſoleat, tamen fortaſſe legendum *Tribu Menenia*, cum aliae ſignificationes ejuſdem literae T. in hoc loco non ſatis opportune accidant.

IX.

M. FVLVIVS. M. F. CLA. MAXIMVS. THESS
L. BOGIONIVS. L. F. FLA. MISSICIVS. SOLVA
SP C. AVFVSTIV. C. F. CLA. TANNIO. CELEI
C. DOMITIVS. C. F. CLA. MATERNVS. TEVRIN
TVB M. AVRELIVS. M. F. CLA. AVITVS. CELEI
M. BABBIVS. M. F. CAL. LVPERCIANVS. COMPS
M. VALERIVS. M. F. CLA. SABINIANVS. IVĀO

MAXIMO . COS

SINGIRPR C. ROMANIVS. C. F. IVL. ITALICVS. EMON
C. VENNACIVS. C. F. PVB. TERTIVS. VERON

SEVERO II . COS.

M. AVRELIVS. M. F. CLA. PATERNVS. CEMEN
M. AVRELIVS. M. F. CLA. SATVRNIN. CELEI
SP M. AVRELIVS. M. F. CLA. SPERATVS. CELEI
T. TITIVS. T. F. CRV. PLACIDVS. TVDER
C. ANNEVS. C. F. SCAT. FIRMVS. VETLO
M. SOFRIVS. M. F. PAPI. NEPOS. TICINO
L. VALERIVS. L. F. CAL. TERTIVS. LVNA
BVRI C. MANILIVS. C. F. MAFC. FAVSTVS: NIAPOL
EQVE M. VALERIVS. M. F. VEL. VALERIANVS. AQV

FLACCO . COS L

M. VALERIVS. M. F. CLA. MAXIMVS. CELEI
M. DOLVTIVS. M. F. PVB. IVSTVS. FERENT
EQVE C. AVRELIVS. C. F. IVL. PATERNVS. EMON
EQVE C. ADVRIVS. C. F. AEM. LEO. STOB
C. PACCIVS. C. F. TER. MAXIMVS. CASIN
C. IVLIVS. C. F. IVL. STATVTIANVS EMON
Q. NINIVS. Q. F. VEL. SEVERVS MARR

PISONE ET IVLIANO COS

TVB C. IVLIVS. C. F. AEM. VALENS. DVRR
P. AELIVS. P. F. IVL. VICTORINVS. EMON
EQV P. AELIVS. P. F. VEL. POTENTINVS. AQVIL
T. MINICIVS. T. F. ANN. PAVLINVS. CREM
M. FVFIDIVS. M. F. FAL. QVARTINVS CAPV

Deeſt

Deeſt initium & finis hujus lapidis, qui fortaſſe militum *oſtenſionem* continet, ut ille apud Gruterum (*a*), cujus initium eſt: TEMPORIBVS CLAVDII TIBERII FACTA HOMINVM ARMIGERORVM OSTENSIONE &c. (*a*) Grut. p. 301.

Lin. 3. CELEI. *Celeja*, cujus Urbis frequentiſſima eſt mentio in veteribus Inſcriptionibus.

Lin. 4. TEVRIN, vel *Teurnia* Oppido Noricorum, ut ex Plinio (*b*), vel potius *Taurino*. (*b*) Plin. lib. III. cap. XXIV.

Lin. 6. CAL, *Galeria*, ſicut & linea 18. nam rudes admodum ſunt in lapide characteres, & ſaepenumero imperfecti.

Lin. 7. IVΛO. Quemadmodum infra *lin.* 16. VETLO pro *Vetulo*, ita hic IVΛO pro *Julio* nimirum, vel Julio Carnico, vel Julio-brica, vel hujuſmodi.

Lin. 8. MAXIMO, *Claudio Maximo*, qui fuit Conſul cum *Cornelio Scipione Orfito*, anno Chr. CLXXII.

Lin. 11. SEVERO, *M. Aurelio Severo* II. Coſ. cum *Claudio Pompejano*, an. Chr. CLXXIII.

Lin. 12. CEMEN, vel *Cemenaeo*, ut apud Gruterum (*c*), & Muratorium (*d*), vel *Cemenelio Vediontiorum in Alpibus littoreis* ex Ptolem., quod Oppidum idem eſt, ac *Cemelion* apud Plinium (*e*). (*c*) Grut. 58. 8. (*d*) Mur. 45. 5. (*e*) Plin. lib. III. cap. V.

Lin. 16. VETLO, *Vetulonio*, vel *Vetulonia*. In Inſcriptionibus etiam *Vetulonenſes* reperio.

SCAT. = *Scaptia*.

Lin. 21. FLACCO, *Fulvio Flacco*, qui Conſulatum geſſit cum *App. Ann. Treb. Gallo*, an. Ch. CLXXIV.

Lin. 25. In hoc lapide litera λ aliquando gerit vices literae L, ut *lin.* 7. IVΛO pro *Julio*, ſaepius tamen literae A, lego igitur *Aemilia*, cum praecipue quemdam Civem Stobenſem in *Tribu Aemilia* deſcriptum videam apud Muratorium (*f*). (*f*) Mur. p. 863. 7.

STOB. *Stobi*, quod erat Oppidum Romanorum in Macedonia, juxta Plinium (*g*). Ejus populi *Stovenſes* appellantur in Pandectis (*h*). (*g*) Plin. lib. IV. c. X. (*h*) L. ult. de Cenſib. ff.

Lin. 28. MARR. = *Marrubio*, vel *Marruvio* Civitate *Marſorum*, ut apud Muratorium, apud quem (*i*) dicitur (*i*) Pag. 1057. 2.

(a) Silv. lib. VIII. v. 506.

Splendidiſsima Civitas, de qua Silius cecinit (a).
Marrubium veteris celebratum nomine Marri.

Lin. 29. PISONE = *Calpurnia Piſone* &
M. Salvio Juliano Coſs. an. Chr. CLXXV.

Lin. 33. CREM = Non *Crema* quondam Oppido Inſubrum. Nam vetus illi nomen erat Φορος Γ'ϰτϰντῶν, *Forum Juntuntorum*, juxta Ptolemaeum, apud alios *Dinguntorum*. Erit igitur *Cremona* nobiliſſima olim Romanorum Colonia. Haec *ditis Colonia* appellatur a Tacito, magno Colonorum numero ſplendida. In ea uberes agri, magnifica templa, & gravia auro Templorum dona. Amphitheatrum Caecina curante a Tertia—decimanis extructum, ubi Vitellius Caecinae munus ſpectavit: Amoeniſſima quoque extra Urbem aedificia, quae igne rapi juſſit Antonius, ut Cremonenſium animi ad mutandam fidem Vitellio praeſtitam traherentur. Strenuos habuit milites, & foeminas etiam ſtudio partium bellantes vidit Cremona. In eadem mercatus celeberrimus fiebat ſtato die, ubi magna Italiae pars conveniebat. Has Cremonae laudes in Tacito (b), iiſdem omnino verbis expreſſas, & alias praeterea invenies.

(b) Tacit. lib. II. & lib. III. Hiſt.

Literae, quae extra lineam praepoſitae ſunt nominibus militum, eorundem officia commonſtrant.

SP. *Lin.* 3. & 14. *Speculator*.

TVB. *Lin.* 5. *Tubicen*.

SINGIRPR. Ita legendum primo adſpectu mihi videbatur; ſed iterum lapidem conſului, & SINGPPR legi poſſe agnovi: quae remanent literae exeſae admodum ſunt. Haec autem ſigla: SINGPR forſan oſtendunt C. *Romanum* fuiſse *Singularem Praefectorum*, ut in Indice Scaligeriano. *Nullus in Oriente, praeter Praefectos, Singularios habebat*, ut docet Pancirolus (c). Fortaſſe etiam legendum *Singularis Praefecti Praetorio*.

(c) Pancirol. Notit. Imp. Orient. c. XX.

BVRI *lin.* 19. vel potius BVCI, nam tertia litera exeſa pro C ſumi poteſt; adeoque erit *Buccinator*.

EQVE. *Lin.* 20. 24. 25. *Eques*.

P. AEL.

322

P.

AB
EX

X.

P. AEL. &c. Quorum Auguſtorum *Chryſanthus* fuerit libertus, ex aſſumto nomine *Aelii* compertum eſt.

Majoris perſpicuitatis gratia quartam lineam cum ſequentibus ita lego: *Item hortulum maceria cintum cum monimentis, & dieta membrorum quinque, & atriolo, quae ſunt*... huic Monumento, & locis ſupraſcriptis dolus malus *abeſto*; *nec aditum in portione dimidia fiſcum haberet, & ſi quis eorum vendere, aut donare voluiſſet, tunc fiſco Dominorum* Imperatorum inferet HS.... Hoc Monumentum *exterum heredem non ſequetur*. In lapide autem verba non modo indiſtincta ſunt, ſed characteres imperite omnino inſculpti.

CVM MONIMENTIS. *Monimentum ſepulchri id eſſe Hadrianus reſcripſit, quod monimenti, ideſt cauſſa muniendi ejus loci factum ſit, in quo corpus impoſitum ſit* (*a*).

ET DIETA. Diaetas variis in locis fuiſſe aedificatas, ut in domibus urbanis, in villis, in hortis &c. jam obſervavit Alexius Symmachus Mazochius doctrina & eruditione praeſtantiſſimus (*b*). Diaetas quoque ſepulcri cauſſa aliquando fuiſſe conſtructas apparet ex Gruteriana inſcriptione, de qua paullo infra, & ex noſtra tantummodo. Diaetarum vero uſus fuit multiplex, ut omnes norunt. Cui autem praecipue uſui inſerviret noſtra haec Diaeta, non niſi conjecturis aſſequi poſſum, Diaetarum genera cum aliquibus ſepulchrorum aedificiis comparando. Nemini obſcurum eſt, apud probatos Graeciae Authores Diaetam ſumi nonnumquam pro Coenaculo. In eadem ſignificatione haec vox adhibetur pluribus in locis Pandectarum (*c*). De Diaeta, quae coaenatiunculae uſum praebuit loquitur Sidonius (*d*). *Ex hoc triclinio fit in diaetam ſive coenatiunculam tranſitus*. Diaetas majores commemorat Athenaeus (*e*) loquens de celebri illa Hieronis navi, in qua erant triginta Diaetae τετρακλίνοι, ſeu coenationes tetraclinae, ut notant Dalechampius (*f*), & Gruterus (*g*). Jamvero inter aedificia ſepul-

(*a*) L. 37. §. ult. ff. de Religioſ.

(*b*) In 2. Excurſu. De S. Caſtuli officio &c. Tom. 1. Kalen. Neapol.

(*c*) L. 13. §. 7. ff. de uſufr. L. 32. ff. De Donat. L. 1. §. 27. ff. de S.C. Silan. L. 41. §. 1. ff. de Legat. & alibi.

(*d*) 11. Ep. 2.

(*e*) Athaen. lib. v.

(*f*) Dalec. ad hunc loc.

(*g*) Grut. ad Plin. Epiſt. 17. lib. 11.

pulcralia non ſemel recenſetur TABERNA, ut apud Gruterum (*a*). Praecipitur etiam aliquando in vetuſtis lapidibus, ut quidam ad ſepulcrum quotannis epulentur, ut apud Muratorium (*b*). Fortaſſe ergo noſtra *Diaeta* funebribus epulis locum praebuit.

(a) Grut. pag. 640. 2. 1133. 3.

(b) Mur. p. 512. 3.

Sed fieri etiam poteſt, ut habitationis, cuſtodiae, & tutelae cauſſa fuerit excitata. Etenim Diaetas in hunc finem extructas fuiſſe docet Ulpianus (*c*). *Sunt quidam*, ait, *in navibus*, *qui cuſtodiae gratia navibus praeponuntur*, *ut* ναυφύλακες, *& diaetarii*. Nec deſunt *Tabernae*, & *Diaetae* pro ſepulcri cuſtodia & tutela extructae. In inſcriptione apud Fabrettum (*d*) legitur: CVM AEDIFICIO ET TABERNA CVSTODIAE TVTELEQVE CAVSA, & apud Gruterum (*e*): HAEC. TABER. CVM. AEDIF. HVIVS. MONVM. TVTELA. EST, & alibi (*f*): HVIC. MONVMENTO. TVTELAE. NOMINE . . . . . cedit. TABERNA. QVAE. PROXIME. EVM. LOCVM. EST. Et in alia inter Marmora Felſinea: HVIC MONVMENTO CEDIT CVSTODIAE CAVSA, QVAE EST IVNCTA TABERNAE CVM AEDIFICIO &c., ubi vel legendum TABERNA, vel poſt illa verba CVSTODIAE CAVSA, addendum eſt DIETA, quemadmodum in Gruteriana inſcriptione (*g*) D. CAECILIVS. VINDEX. PRAECEPIT. VT. AD. SEPVLCHRVM. HORTVS. QVI. EST. CINCTVS. MACERIA. ET. DIETA AIVNCTA (adjuncta) IANVAE. CVSTODIAE. CAVSA. SEPVLCHRO. CEDAT. &c. Deinde ſervis quandoque aliquid a Dominis legabatur, ut monumenti aſſidui cuſtodes eſſent. Sic *Titio centum relicta ſunt*, *ut a monumento non diſcedat* (*h*).

(c) Ulp. L. 1. §. 3. ff. Nautae.

(d) Fabr. c. v. 393.

(e) Grut. p. 640. 2.

(f) Pag. 299. 1.

(g) Pag. 964. 2.

(h) L. 71. ff. de cond. & demonſtr.

Igitur a veritate non aberraverit, qui dixerit noſtram Diaetam, & funebribus epulis locum dediſſe, & cuſtodiae monumenti cauſſa fuiſse conſtructam.

MEMBRORVM V. Partes domus vel alterius cujuslibet aedificii appellari *membra* ab antiquis Scriptoribus indubitatum eſt. Quamobrem *membra* Diaetae erunt partes, ſeu quaedam ipſius Diaetae cubicula: & Diaeta *membrorum quinque* erit Diaeta ex quinque cubiculis compoſita, ut ego

ego quidem arbitror. In hanc ſententiam me confirmat Plinius, qui amoeniſſimae cujuſdam Villae aedificia deſcribens (*a*), ait: *Hâc adeuntur diaetae duae, quarum in altera cubicula quattuor, altera tria, ut circuit ſol, aut ſole utuntur, aut umbra*. Praeter Plinium nullum alium authorem in promptu habeo; ex eo tamen Diaeta etiam *membrorum quinque* ſatis comprobatur. Huc uſque ignota fuerat hujus generis Dieta; quare nihil miror, ſi doctiſſimus Vir (*b*); qui de Diaeta tam ſapienter diſſeruit, contra Voſſii ſententiam ita ſtatuerit: *Nec vero zeta, ſive diaeta ex pluribus membris componebatur, ſed ſimplex erat*. Nihil miror, inquam, nam, ut ſuperius attigi, plura profecto ſunt, quorum cognitio ex antiquis momentis tantummodo in nos profecta eſt; & in hac re uſurpare poſſum illa Manutii verba (*c*): *multa latent adhuc retruſa, atque addita in commenſitate naturae*. Nemo autem mirabitur in liberti monumento haberi Diaetam *quinque membrorum*; libertos enim complures Imperatorum temporibus, magnis divitiis praeditos fuiſſe narrant hiſtoriae. Plures habebat libertos & libertas, adeoque diaetam plurium membrorum eiſdem conceſſit. Neque tamen, cum nomino Diaetam quinque membrorum, magnificum quoddam, & amplum aedificium mihi ante oculos pono; imo anguſtum fuiſse arbitror. Ita enim plerumque erant Diaetae, quas *exiguitate forſitan potius commendari* oſtendit etiam laudatus Author (*d*). Deinde aedificia ad hoc ſepulchrum pertinentia ſunt hortulus, & atriolum; ſi ergo velimus juſtam proportionatum inter illa, & diaetam exſtitiſſe, hanc pariter exiguam fuiſſe dijudicabimus.

QVESVNT . . . . Haec ſuppleri omnino non poſſunt; nam hic deſcribendus eſſet locus, in quo monumentum cum ſuis aedificiis ſitum erat, ut in Inſcriptione apud P. Lupium (*e*), vel fortaſſe etiam menſura monumenti, ejuſque aedificiorum.

H. M. ET. LOCIS. SS. Ita ſupplevi ex Gruteriana inſcriptione (*f*). Suppleri etiam poterat ex Gorio (*g*). AB IIS OMNIBVS D. M. *abeſto*:

(*a*) Lib. vi. Ep. 6.

(*b*) Mazoch. ibid. pag. 105.

(*c*) Paul. Manut. in Epl. ad Dieg. Hurtad. de Mendoza.

(*d*) Mazoch. ibid.

(*e*) Lup. p. 113.

(*f*) Pag. 809. 2.

(*g*) Gor. Inſcr. Florent. To. I. p. 193.

NEC

NEC ADITVM IN PORTIONE DIMIDIA FISCVM HABERE : ideſt *habeat*, ſicuti & paullo poſt: QVOD SI QVIS &c. VOLVISSET, pro *voluerit*. Quid ſibi velit inuſitatiſſima haec formula . optime intelligi poterit ex litteris, quas XIIII. Kal. Aprilis mihi reddidit humaniſſimus Niceta Thalaſſius J. C. & in veneranda antiquitate, praecipue vero in antiquo Jure eruditiſſimus. =. Elegantiarum, inquit, plena eſt inſcriptio ad quam illuſtrandam, mi docte Blaſi, haud inauſpicato quidem ſuperioribus diebus acceſſiſti. Verum, ut arbitror, nihil in ea eſt poſtremis verbis elegantius, quae etſi prima fronte monſtri aliquid alere videantur, tamen nihil tale in illis ineſſe noveris, ſi te ad ſacras Leges, tanquam ad Apollinis tripodem receperis. Omnem, ſi quid video, obſcurioribus iis verbis lucem praeferunt, quae in jure noſtro de Libertorum ſucceſſionibus ſcriptae ſunt leges, in quibus quid ſit paucis expediam. Libertis primo loco ſuccedebant heredes ſui, ſecundo Patroni vocabantur. Hoc Patronorum jus ſuccedendi in bonis libertorum, ut acute obſervat magnus Cujacius (a) κατ' ἐξοχὴν, vereque *juſpatronatus* dicitur *in L.12. C. de oper. libert. & in l.* 14. *D. de tut: & cur. dand.* Sed quam varium illud jus fuerit, atque multiplex nemo neſcit, qui vel ſummis labris juris inſtitutiones attigerit. Ne quid dicam de jure Decemvirali, quod, quae illud ſubſecutae ſunt leges immutarunt, ad edicta Praetorum in rem noſtram propoſita me recipiam. In iis igitur cautum erat, ut qui ſine filiis naturalibus libertus teſtatus deceſſiſſet, juberetur Patrono, ejuſve liberis dimidiam bonorum omnium partem relinquere; quod ſi aut nihil, aut ſemiſſe minus relictum a Liberto eſſet, dabatur Patrono contra tabulas teſtamenti partis dimidiae bonorum poſſeſſio. Haec jurapatronatus per Decemviros, & Praetores inſtituta auxit lex Julia Papia, imminuit vero Juſtinianus Graeca Conſtitutione, quae in Baſilicis To. VI. pag. 595. locum obtinuit. Legibus porro in hanc rem ſancitis tenebantur etiam Auguſtorum liberti, qui plerumque opulentiſſimi erant, & vel ipſos, ut Juvenalis ait, *Patri-*

(a) Cujac. Parat. in c.lib.VI.tit.4.

trities opibus provocabant. In Fiſcum tamen omnium bonorum ſemiſſem pro libertate debitam eos contuliſſe aperte nos docet Gordiani lex, quam ex codice Gregoriano ſervavit Papianus in lib. *Reſponſorum tit.* III. in haec verba: *Libertus Principis Romana Civitate donatus a Principe, & manumiſſus, de bonis ſuis hac ratione teſtetur, ut Fiſco debita medietas reſervetur*. Patet hoc & ex Dionis lib. 51. & ex duobus Svetonii locis, quorum primus eſt in Nerone cap. 32. *Ante omnia inſtituit* (Nero) *ut e libertorum defunctorum bonis pro ſemiſſe dodrans* (ſive *dextans*, ut ex fide Codicum emendavit Caſaubonus) *cogeretur ei, ſi qui ſine probabili cauſſa eo nomine eſſent, quo fuiſſent illae Familiae, quas ipſe contingeret*: alter vero occurrit in Veſpaſ. cap. 23. de quo auctor haec habet. *Utebatur & verſibus Graecis tempeſtive ſatis . . . . . & maxime de Cerulo liberto, qui dives admodum ob ſubterfugiendum quandoque jus Fiſci, ingenuum ſe, & Lachetem mutato nomine coeperat efferre.*

Ὦ Λαχης Λάχης ἐπὰν ἀποθάνῃς
Αὖθις ἐξ ὑπαρχῆς εἰρήσῃ Κήρυλος.

Verum ad lapidem ipſum propius accedamus. P. Aelius Chryſanthus, qui ſepulcrum ſibi, uxorique poſuit, cum Auguſtorum eſſet Libertus, neque filios, ut ſuſpicari licet, ex praemortua conjuge ſuſcepiſſet (nulla enim horum in inſcriptione mentio) ſemiſſem hereditatis ſuae Principis aerario debebat, cui debuit & jus ad dimidiam partem ſepulchri, quod ſaepe ea portione heredes ſequebatur, qua ipſi teſtamento eſſent ſcripti: hinc in duabus apud Gruterum inſcriptionibus legitur (*a*): HVIVS. MONVMENTI. SIVE. SEPVLCRI. IVS. AD. HEREDES. EIVS. PERTINET. PROPORTIONIBVS. QVA. QVIS. TESTAMENTO. EIVS. SCRIPTVS. EST. Cum itaque futurum quandoque Chryſanthus intelligeret, ut Fiſcus ad dimidiam monumenti a ſe conſtructi partem jus haberet, ut manibus ſuis, ſuorumque rite conſuleret, ſolennibus quae in marmore leguntur, verbis, aut cavit, ne Fiſcus jus in ſepulcro ullum haberet, quod illud

(*a*) Grut. pag. 866. n. 7. p. 871. n. 8.

lud familiae, non exteris heredibus ſtruxerat, ideoque ipſum & ab ea parte prohibuit, quae legibus deberetur; aut certe voluit, ut Fiſcus ſuo jure contentus eſſet, neque unquam eam monumenti partem adiret, quam ipſe ſibi, conjugi, libertiſque reſervaverat. At inquies, inutile interdictum, quando ſatis per Leges proviſum erat, ne ſibi ultra ſemiſſem bonorum Liberti Patronus vindicaret. Verum id quidem fateor, at minime incivile publicas leges privatis juſsionibus confirmari. Ecquid in jure magis vetitum, quam ſepulcrorum venditio, vel donatio, vel fiduciaria mancipatio? quoties tamen in veterum monumentis hujuſmodi privatorum hominum prohibitiones leguntur, multaeque in eos, qui ſecus fecerint, irrogantur? His adde Chryſantho rem fuiſſe cum Fiſco, a quo vel ipſae leges raro undique tutum hominem praeſtant. Ceterum ut ut ſimillima vero quae dixi hactenus videantur, non ita tamen illis delector, ut aliorum in re obſcura conjecturis, iiſque, ſi Dis placet, elegantioribus aditum prohibeam. Addam & ipſe mantiſſae loco nonnulla, quae, dum ſcribo, mentem occupant. In Caſtrenſibus Libertorum bonis nullum jus adquiſivere Patroni *ex L.3. ff. de bon. libert.*, in qua praeterea ſcriptum eſt, ne quid habeant Patroni a Liberto, cui libera teſtandi poteſtas de rebus omnibus a Principe conceditur. Quid igitur ſi Chryſanthus vel ſepulcrum ex Caſtrenſibus bonis excitaſſet, vel liberam de rebus ſuis teſtamenti factionem fuiſſet conſecutus ab Auguſtis, a quibus libertatem impetraverat? Profecto ſi ita cum Chryſanthi rebus conſultum fuerat, vides tam integrum ipſi fuiſſe, quam cui optima lege, a ſepulcro omnino Fiſcum arcere. Haec ſunt, mi optime Blaſi, quae in re ſatis dubia per ſummam, ut ſcis, temporis anguſtiam divinatione aſſequi viſus ſum. Tu fac hiſce litteris contentus ſis, in quibus, ſi minus elegans vetuſti lapidis commentum, habes certe non obſcuram meae erga te voluntatis ſignificationem

Vive, Vale. Si quid noviſti rectius iſtis,
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.

AVRE-

XI.

AVRELIAE FELICITATI QVEM
ET CHRYSOPOLI MATRI DVLCIS
SIMAE BENEMERENTI FECI
EGO FILIVS, AVR. THEOMOLPVS MIL
LEG. II. PARTHICAE

Lapis hic repertus *in Coemeterio S. Hermetis hoc anno* MDCCLXV., elegans quidem eſt, utpote verſicolor, literae tamen ſatis rudes.

QVEM. Lego: QVAE, ita ut CHRYSOPOLI ſit alterum nomen Aureliae Felicitatis. Ita apud Bonarotium (*a*). ΣΙΜΠΛΙΚΙΑ. Η. ΚΑΙ. ΚΑΛΩΝΙΜΟΣ. *Simplicia, quae & Calonimos*. MVSCVLA. QVAE. ET. GALATIA, apud Boldettum (*b*), MAXIMA. QVAE. ET. HEDONE. in Muratoriano Theſauro (*c*). Similia exempla refert etiam Marangonius (*d*).

(*a*) Bonarot. in Vitr. Coemet. p. 43.

(*b*) Boldet. p. 808.

(*c*) Murat. p. 2072. 4.

(*d*) Marang. de Rebus Ethnic. &c. p. 472. & 465.

XII.

... CLAVDIE . IDE . FIL. SVAE
.. LIBERTIS . LIBERTABVS
POSTERISQVE . EORVM
NE QVI LICIAT IVS SVVM
VENDERE . QVOD . SI VEND
ERIT . AD . AERARIVM . SEX
MILIA DABET

XIII.

D. M.
ONE SIMI
...ONI . COM
PΛEDAGO
...NAE . BENE
meRENti

XIV.

MANIVS
AEMILIVS LEPID
STRATO ROGATOR
IN FRONTE. P. XII
IN AGRO. P. XIIX

XV.

FVLCINIA . POETAS
VIXIT . ANN. LX
FECIT
PRIMIGENIA. Ɔ L.

DIS.

XVI.

DIS. MAN.
Ç.OL IO
CRES CENTI
V. A XXXX
CLAVDIA . ECIOGE
CONIVGI SVO B. M. F.

XVII.

C VALERIVS
FORTV NATVS
SIBI ET
VALERIAE FOR
TVNATAE

XVIII.

. . . .
EMIT SIBI. ET. RVTILIAE. HEEPIDI. CONIVGI. ET. RVTILIAI
CRISPINILLAE. F. LIB. LIBERTABVSQVE. POSTERISQ. EORVM
AEDICVLAS. IIII. COLVMB. IIII. ET. IN SOLO. ANTE. AEDIC. IN FRONTE
PED. IIIIS. CVM. EO. QVIDQVID. IN. P. QVADR. PART. INTERIORI. CONTINETVR

XIX.

LVSCIO . T. L. PARNACENI
LVSCIAE . T. L. MONTANAE
VATTIVS .)L. AVCTVS . COIVGI
F. LVSCIVS.)L. CORVMBVS PATR
ONAE. PRO. MERITEIS. DANT. VBEI
EORVM . OSSA . QVIESCANT

XX.

D M
LYCAE . CON
IVGI DVL
CISSIMAE B M
ATHENAEVS
CONIVX FEC

XXI.

. . . . ANO EXHISP CITER
. . . . GALLAEC IN MAVR
. . . . G. IN CAPPAD
. . . . T CR IN CAPPAD
. . . . IDIC IN AFRICA
. . . . RIANAE IN RAETIA
I XV

In linea tertia ante literam G in lapide apparet indicium literae M , vel A ; ita initio lineae quintae apparet indicium literae M.

INSCRIPTIONES CHRISTIANORUM.

I.

AEQVITIO. IN ☧ DEO INNOFITO
BENE MERENTI QVI VIXIT
AN. XXVI. M. V. D. IIII. DEC. III. NON. AVG.

Repertus eſt hic lapis in Coem. Cyriacae hoc anno MDCCLXV.

Ex titulis ſepulcralibus veterum Chriſtianorum Religionis noſtrae dogmata confirmari, alii jam obſervarunt. Noſtri *Aequitii* titulus Chriſtianorum fidem in Chriſti Divinitatem mirifice commendat.

INNOFITO, ideſt *Neophito*. In aliis quoque hujuſmodi Inſcriptionibus occurrit corrupta haec dicendi ratio; quare non peculiari alicujus errori, ſed plurium vulgari idiotiſmo tribuenda eſt, ut illud uſitatiſſimum CESQVET pro *quieſcit*.

Neophitus graece Νεόφυτος nihil aliud eſt, quam *recens plantatus*, ut omnes norunt. Itaque dicitur Aequitius *recens plantatus*, ſeu recens natus in *Chriſto Deo*. Et hac ratione Aequitii titulus ſepulcralis oſtendet etiam, veteres Fideles Chriſti gratiam in Baptiſmo agnoviſſe.

II.

INNOCENTIVS
V. A. N. II. M. V. ❦

Erutus eſt lapis anno MDCCLXII. ex ruinis Coemeterii Cyriacae, in vinea, quae eſt ſecus viam Tiburtinam, infra Baſilicam S. Laurentii parte ſiniſtra. *Ani-*

Animam innocentem, imo *innocentiſſimam* legimus aliquando in titulis ſepulcralibus Gentilium. At nihil frequentius, quam *innocentiae* appellatio, in antiquiſſimis inſcriptionibus ſepulchralibus Chriſtianorum, praeſertim vero Coemeterialibus. Non aliam Gentiles innocentiam agnoverunt quam illam, qua culpa caremus, & nocentes non ſumus; quo ſpectant illae formulae. VIXIT *cum conjuge* SINE VLLA QVAERELA : SINE STOMACO : SINE BILE. Praeterea inter equorum nomina, qui in ludis Circenſibus favore populi celebrabantur, aliquem reperio *innocentem* appellatum (*a*); ex quo judicari poteſt, quam innocentiam agnoſcerent, qui equum innocentem dicerent. Noſtri illuſtriorem innocentiae ideam habuerunt, ut mox adnotabo. Interim animadverto *Innocentiae* appellationem ſaepiſſime occurrere in puerorum titulis, aut eorum qui non multo poſt acceptum Baptiſma obiiſſent. Animadverto deinde quoſdam in Chriſtianorum titulis ſepulcralibus, omiſſo *gentis* vel *familiae* nomine, appellatos eſſe tantummodo *innocentes*. Itaque apud Aringhium (*b*) legitur: SPIRITO SANCTO INNOCENTI. QVI. VIXIT. AN. PL. M. III. apud eumdum (*c*) INNOCENTIAE ET DVLCITVDINI FILIO QVI VIX ANNV. VNV. MENS . . . . . DIES VIIII. PARENTES FECERVNT. Ejuſdem generis eſt ſequens Inſcriptio, quam in hac Sylloge (*d*) edidit Clariſſimus P. Odericius: ROMVLESIA . MATER . FECIT . FILIO. SVO. DVLCI. EVNTI. IN. PACE. INNOCENTE. DEPOSSIONE. VIIII. KAL. AVG. A DEO. Muratorius quoque a Malvaſia hanc protulit Inſcriptionem (*e*): INNOCENTIS SORORIS. L. VASEL. AVACVAI. VIXIT ANN. DVOBVS . DEPOSITA . IIII. KAL. IVL. CONCORDIV. GVAFVI. Mendoſiſsima quidem eſt, ſed *Innocentis* nomen dumtaxat huic bimulae tributum videtur.

(*a*) Vid. Catalog. ejuſmodi Equorum apud Montfaucon. Antiq. Expliq. To. III.

(*b*) Aringh. Rom. Subt. lib. III. cap. XXII. p. 609.

(*c*) Ibid. p. 343.

(*d*) Pag. 99.

(*e*) Mur. p. 1777.

Si in hiſce monumentis, & in aliis quae afferri poſſent, gentilitium nomen omiſſum, & ſola *Innocentiae* nuncupatio deſcripta eſt, id non caſu aliquo accidiſſe exiſtimo, neque eorum, qui monumenta poſuerunt, oſcitan-

citantiae tribuo; hi enim in adnotanda aetate, ac depoſitionis die diligentes admodum fuere.

Certa quaedam & conſtans ratio ſubeſſe debet, quae ni fallor, conſpicua eſt in praeclaro hoc monumento Aquilejenſi apud Muratorium (*a*).

(*a*) Mur. p. 1888.



Innocenti Spirito, quem elegit Dominus. Pauſat in pace fidelis X. Kal. Sepoembris. Poſitum eſt hoc monumentum puero, qui paullo poſt acceptum Baptiſma in pace quievit. Nam Baptiſmi typus in ejus tumulo ita clare expreſſus, citiſſimum illius tranſitum a Baptiſmo ad tumulum videtur oſtendere. Hic etiam puer, omiſſo *gentis* nomine, dicitur dumtaxat *Innocens Spiritus*. Dicitur ergo *Innocens Spiritus* ob acceptum Baptiſma. Et ſane animae ſanctitas, quam in Baptiſmate acquirimus, a SS. Patribus *innocentia* nuncupatur. Ex iis Cyprianum afferre ſufficiat ita loquentem (*b*): *a Patre potentiam, a Filio ſapientiam, a Spiritu Sancto innocentiam* (in Baptiſmate) *accipimus*. Quare S. Ambroſius veſtes candidas, quas Neophiti octiduo poſt Baptiſmum geſtabant, *innocentiae caſta velamina* eleganter appellat (*c*). Quamobrem in ea ſum opinione, ut putem veteres Chriſtianos tanti feciſſe hanc innocentiae gratiam in Baptiſmo collatam, ut contenti fuerint *innocentis* appellationem in

(*b*) Cxprian. de Baptiſm. Chriſt.

(*c*) Ambroſ. de Initiat. cap. 3.

in eorum titulis ſepulchralibus deſcribere, qui Baptiſmo ſanctificati eſſent, & de eorumdem gentilitio nomine interdum nihil curaverint.

Hoc etiam contigiſſe in noſtro Innocentio ſuſpicari poſſumus. Quod ſi quis velit hujus pueruli proprium nomen *Innocentium* fuiſſe, certe non negaverit, ab innocentia baptiſmali hoc nomen apud Chriſtianos generoſum veluti ortum habuiſſe.

III.

AMANTISSIMAE ADQVE FIDE
ΛIIS QVAE VIXIT ANNIS V. ET MENSES SEX
LEONTIO ET BONOSO COSS. BVSOMVM

Ibidem.

FIDEΛIIS, ideſt *Fidelis*. Hic etiam quinquennis puellae nomen proprium deſideratur. Sed ſi Chriſtiani tanti faciebant nomen a Baptiſmi *innocentia* deſumptum, ut nuper adnotavi; quanto magis exiſtimaverint nomen deſcendens a Fide, quae eſt totius Religionis fundamentum? Hujuſce nominis dignitatem praecipue extollit Cyrillus Hieroſolymitanus, qui novum Fidelem his verbis alloquitur (a): καὶ μὴ νομίσης ὅτι μικρὸν πρᾶγμα λαμβάνεις. ἄνθρωπος ὢν οἰκτρὸς Θεοῦ λαμβάνεις προσηγορίαν. ἄκουε Παύλου λέγοντος: Πιστὸς ὁ Θεός: ἄκουε ἄλλης γραφῆς λεγούσης. Θεὸς πιστὸς καὶ δίκαιος. *Neque vero te rem minimi pretii accipere putes, miſerabilis homo cum ſis, Dei cognomen accipis. Audi Paulum dicentem: Fidelis Deus: audi aliam ſcripturam: Deus fidelis & juſtus*. Chriſtiani itaque tanto in pretio habuere προσηγορίαν *cognomen*, ſeu appellationem *Fidelis*, ut de gentilitio nomine in ſepulcralibus tabulis deſcribendo aliquando ſolliciti non fuerint.

(a) Cyrill. Hieroſolym. Procatech. n. 11.

LEONTIO ET BONOSO. Anno Chriſti CCCXLIV. Conſules fuere Leontius & Salluſtius. *Bonoſum* ergo ſuffectum

ſectum fuiſſe Salluſtio dicendum erit. *Leontium cum Bonoſo* primus detexit Cl. Maffejus ex duplici lapide in Coemeteriis Romanis reperto. Ex noſtro autem tertium ejuſdem Conſulatus teſtem habemus.

IV.

☧

IRINE. QVE. VIXIT AN. II. M. X
DIES XXI. IN PACE PARES FECE
RVNT

Ibidem.

IRINE. Graece eſt Εἰρήνη, *pax*. Quamvis nonnullis etiam Gentilibus foeminis hoc nomen proprium fuerit; non eſt tamen cur illud ab Ethnicis mutuati ſint Chriſtiani, quorum Religio pacem unice diligit. Solemne fuit noſtrae Religionis ſectatoribus Chriſtianarum virtutum nomina ſibi aſſumere, ut ex ipſis nominibus commonſtrarent, quam vivendi rationem profiterentur.

PARES. Lege: PARENTES.

V.

IOVENA QVE VIX . . . . .
ET MESES TRES . . . .
DECIM TE IN PA . .

Hanc eamdem Inſcriptionem in *Coemeterio S. Hermetis* integram deſcripſit Marangonius, & ex eo Muratorius retulit in ſuo Theſauro *(a)*: Sed alteruter non omnino accurate eam legit. Nam apud Muratorium hujuſmodi eſt.

(a) Mur. p. 1890. 2.

 IO-

IOVINA QVE VIX A. IIII
ET MESES TRES DIES
DECEM TE PACE

Ope iſtius ſuppletur, quod deeſt in noſtra; noſtra autem corrigit, quod in Muratoriana erratum eſt.

IOVENA. Eſt nomen proprium, ut perſpicuum ſit ex duplici Inſcriptione apud eumdem Muratorium (*a*).

(a) Id. ibidem n. 4. & 5.

Eamdem formulam TE IN PACE exhibent bina, quae ſequuntur Epitaphia in eodem *Coemeterio S. Hermetis* reperta hoc anno MDCCLXV.

VI.

ZELOTYPI
TE IN PA
CE

VII.

.....IMENI DVLCIS
TE IN PACE

VIII.

SEVERA IN PACE
QVE VIXIT AN. IIII ☧
MENS. Ϛ III

Ex ruinis Coemeterii Cyriacae anno MDCCLXII.

Ex hac Inſcriptione, & aliis quae ſubjectae ſunt numeris II. III. IV. V. ad infantes pertinentibus, aliiſque hujus generis plurimis, quae ex ſacris Coemeteriis prodierunt, & prodeunt in dies, invictum ducitur argumentum

tum contra Anabaptiſtas, qui pueris Baptiſmum denegabant. Eos authoritate Patrum omnium temporum confutant Theologi noſtri non modo, ſed etiam Eterodoxi. Si haec Chriſtianae antiquitatis monumenta conſulent, aliud validiſsimum argumentum contra eoſdem Anabaptiſtas proferre poterunt.

IX.

AVRELIAE. MARTYRIAE. FILIAE
IISSIMAE. TOTIVS. DVLCITVDI
DEPOSITA IN PACE XII. KAL. MARTI. ANIS

Ibidem, eodem anno.

MARTYRIAE. Hoc arbitror eſſe nomen ab Aurelia in Baptiſmate acceptum. Scimus enim, plures ad ſalutare Lavacrum accedentes Martyrum nomina aſſumpſiſſe, ut eorum opem facilius impetrarent, ſicuti affirmat Theodoritus inquiens (*a*): Τὰς δὲ μαρτύρων προσηγορίας μᾶλλων ἴσασιν ἅπαντες, ἢ τὰ τῶν φιλτάτων ὀνόματα. καὶ τοῖς παισὶ δὲ τὰς τούτων προσηγορίας ἐπιτιθέναι σπουδάζουσιν, ἀσφάλειαν αὐτοῖς καὶ φυλακὴν ἐντεῦθεν μηχανώμενοι. *Martyrum autem nomina notiora ſunt omnibus, quam familiarium. Quin & naſcentibus filiis horum vocabula imponere ſtudent, ſecuritatem inde ipſis, tutelamque comparantes.* Quidam autem non propria alicujus Martyris nomina, ſed genericam Martyris nuncupationem adamarunt. Ita apud Gruterum legimus, quemdam *Martyrium* dumtaxat appellatum, & apud nos etiam in ſequenti lapide:

(*a*) Theodorit. Ser. 8. de Martyr.

X.

MARTVRIVS
IN PACE BIXIT ANIS XX
M. IIII. D. XII

 alios

alios quoque eodem ſolo nomine inſignitos apud Muratorium (*a*), videre eſt, apud quem foemina quaedam nominatur tantummodo MARTVRA (*b*), alia vero MARTVRIA.

(*a*) Mur. p. 1910. 4.
(*b*) Id. p. 1913. 6.

Quemadmodum autem multi ex Gentilibus, ut narrat Procopius (*c*) ſaeviente perſecutionis tempore, τὰς τῶν ἁγίων ἀνδρῶν προσηγορίας, *Sanctorum hominum appellationes ſibi arripiebant*: ἐκάλει γὰρ ἑαυτὸν ὁ μὲν ΙΑΚΩΒ, ὁ δὲ ΙΣΡΑΗΛ, ἕτεροι δὲ ΙΕΡΕΜΙΑΝ τε καὶ ΗΙΣΑΙΑΝ, καὶ ΔΑΝΙΗΛ μεθ᾽ ὧν ὀνομάτων ἐπὶ τὰ μαρτύρια προθύμως ἑαυτοὺς ἐπεδίδοσαν. *Se enim Jacobum alius, alius item Iſraelem, alii etiam Hieremiam, & Iſaiam, & Danielem nuncupabant, quibus aſſumptis appellationibus alacri & forti animo ad martyria accedebant*; ita exiſtimo alios vel Martyris alicujus, vel genericum Martyrum nomen ſibi aſſumpſiſſe, ut eorundem ſocietatem ſe vehementer cupere oſtenderent, atque perſecutionum tempore alacriores animos ad Martyrium perferrent. Et ſane conjicere poſſum, voti compotem factum eſſe quemdam, qui apud eumdem Muratorium Martyrii nomen unice habet, quemque revera Martyrem fuiſſe demonſtrarunt vitreae ampullae ſanguine tinctae, cum illius exuviis repertae.

(*c*) Procop. in Iſai. cap. 44.

IISSIMAE. *Piiſſimae* vel *Cariſſimae*, vel hujuſmodi.

DVLCITVDI. Hujus vocis complementum habes in ſubjecta linea, ubi eſt τὸ NIS, ut fiat DVLCITVDINIS, niſi tamen velis ibi legendum eſſe: ANIS, & annorum numerum deeſſe.

XI.

BALSAMIA. V. R. Q.

Ibidem, eodem anno.

Fortaſſe legendum. *Balſamia Virgo requieſcit.*

VIIII.

XII.

VIIII. KAL. DECEB.
DEFVNTA EST
BIRGO BASSA ☧
QVE BISIT ANIS
XVI. ET MEN. X. ET. DIES XIII

Erutus eſt lapis in Coemeterio Cyriacae hoc anno MDCCLXV.

Primis etiam Eccleſiae temporibus conſueverant Chriſtiani viginitatem ſuam a teneris annis Deo dicare. Certum tamen non eſt noſtram *Baſſam* fuiſse Virginem Deo dicatam, quemadmodum certum de illis, quae in Chriſtianorum Inſcriptionibus, ſi recte memini, dicuntur *Virgines Deo ſacrae*, *Ancillae Dei*, vel hujuſmodi.

Lin. 4. BISIT. pro BIXIT, ideſt VIXIT.

XIII.

ANTONIVS DISCOLIVS FILIVS ET BIBIVS
FELICISSIMVS ALVMNVS VALERIE CRESTENI
MATRIBIDVE ANORVM XVIIII. INTER SANTOS

CRESTENI. De hoc nomine, quod a Χρηςὸς, originem ducit, conſule doctiſſimi, & eruditiſſimi Viri Mamachii Origenes, & Antiquitates Chriſtianas (*a*).

Tam Antonius Diſcolius, quam' Bibius (ideſt *Vibius*) *Feliciſſimus Matri* memoriam ponunt, cum tamen hic poſtremus, utpote *Alumnus Nutrici* ponere debuiſſet: At novimus, natūra duce, illud eſſe inter Nutrices & Alumnos amoris vinculum, ut Nutrices filiorum loco alu-

(*a*) Mamach. Orig. & Antiquit. Chriſt. lib. I.

alumnos habuerint, ut conſtat ex Homero (*a*), & alumni viciſſim Nutrices veluti Matres dilexerint & nominaverint, ut perſpicuum ſit in Ariſtaenito (*b*), & aliis.

(*a*) Hom. Odyſſ. xix. 21.

(*b*) Epiſt. 1. 5.

Si hoc inter Ethnicos, quanto magis inter Chriſtianos, qui vel amoris, vel honoris vocabula tantummodo invicem uſurpabant; Qua de re vide eumdem Mamacchiúm (*c*).

(*c*) Id. ibid. Lib. 1. §. 11. n. v.

BIDVE &c. Quemadmodum, ut demonſtretur *Vidua Eccleſiaſtica* dicitur in quadam inſcriptione apud Gruterum (*d*): VIDVA QVAM OMNIS ECCLESIA DILIGEBAT &c. & in alia apud eumdem (*e*): VIDVA DEI; ita & in noſtra dicitur *Vidua* INTER SANTOS. Si Chriſtiani omnes *Sancti* vocabantur, ut ex Apoſtolo, & Patribus conſtat, potiori jure haec appellatio iis convenit, qui peculiari ratione divinis obſequiis addicti erant. Dicitur ergo *Vidua* INTER SANTOS, ideſt inter *Eccleſiaſticos*. Nam & ipſae Viduae in Eccleſia ſuum habebant conſeſsum, vel ſuam ſedem, ut loquitur Tertullianus, cujus verba paullo poſt recitabo.

(*d*) Grut. p. 1055. 5.

(*e*) Id. p. 1056. 6.

Ex ipſa inſcriptione quiſque agnoſcit in *Valeria Creſtene* non deſiderari eam dotem, qua Apoſtolus praeditas eſſe vult Eccleſiaſticas Viduas, quando in veris Viduis requirit, ut filios educaverint: Idem teſtatur Tertullianus (*f*) his verbis: *Ad quam ſedem* (nimirum ad ſedem, ſeu ordinem Viduarum) *praeter annos ſexaginta non tantum univirae, ideſt nuptae aliquando eliguntur, ſed & matres, & quidem educatrices filiorum*. Noſtra autem *Valeria* non modo *Filium Diſcolium*, ſed etiam *Vibium alumnum* educavit.

(*f*) Tertull. lib. de Veland. Virginib. cap. 8.

Porro anni dumtaxat recenſentur, quos *Valeria* in Viduitate tranſegit, tamquam Deo praecipue dicati, & tamquam ſoli digni ſint, qui commemorentur. Dolendum tamen magnopere eſt, hîc deſcriptos non eſſe annos totius vitae elapſae; ex iis enim & ex annis Viduitatis dignoſceremus num *Valeria* in Viduarum ordinem fuiſſet cooptata juxta aetatem ab Apoſtolo & Conciliis definitam, nec ne. Ignotum enim non eſt Eccleſiaſtica hiſtoria initiatis, non eamdem ſemper conſti-

tiſſe

tiſſe veterem diſciplinam, quae ad Viduarum aetatem pertinet.

XIV.

IVLIVS MAGISTER
BENEMERENTI FELICI
ANO PETAT PRO NOBIS



IVLIVS MAGISTER. Cardinalis Oſtienſis ex ſententia Placentini antiquiſſimi legum interpretis obſervat, *Magiſtri* appellationem proprio cujuſque nomini praemiſſam indicare ſolere profeſſorem artium liberalium, poſtpoſitam vero artium mechanicarum profeſſorem. *Doctores legum*, inquit, *dedignantur Magiſtri vocari*, & *male*, *quia ſic vocantur in proſecu. ff.* §. *pen.*, *dicit tamen Placentinus*, *quod ſi dico: Petrus Magiſter venit*, *intelligi debet de carpentario*, *vel ſimili*; *ſed ſi dico: Magiſter Petrus*, *tum intelligi debet de Magiſtro literarum* (*a*). Quamquam autem haec diſtinguendi ratio conſtans non fuerit, nam apud Muratorium (*b*) legitur MAGISTER IVLIANVS, & non deſunt alia hujus generis exempla; attamen ex more admodum antiquo Placentini diſtinctionem deſcendere docet titulus iſte ſepulchralis *Julii Magiſtri*, & alter apud Marangonium (*c*) *Coriti Magiſtri*, etiam Urſus ille, qui circa annum DCCXX. tempore Luitprandi Reg. Ciborium in honorem Jo. Baptiſtae conſtruxit, de quo Muratorius (*d*), VRSVS MAGISTER appellatur.

(*a*) Oſtien. in Sum. tit. de Magiſtr. Et in Comment. ad Decretal. eod. tit.

(*b*) Mur p. 1393. 3.

(*c*) Marang. de Reb. Gentilib. & translatis ad uſum, & ornam. Eccl. p. 155.

(*d*) Mur. p. 1962. 3.

PETAT PRO NOBIS. Paucae aliae hujuſmodi formulae leguntur apud Chriſtianarum Inſcriptionum Collectores, nulla tamen eſt in Gruteriano Theſauro. Quare mirum non eſt, ſi Reineſius ſequenti Epitaphio interpretationem non ſubjecerit.

EXV.

EXVPERANTIA IN PACE PETA SPONO FELIX
(1) . . . . PERANTIVS FELIX IN PACE

Quod ita lego : Exuperantia in pace PETAS PRO NOBIS (*a*) . Sed neque Fabrettus illuſtravit hanc Inſcriptionem :

(*a*) Claſſ.xx. n.65.

MERCVRIVS IVSTE CON
IVGI BENEMERENTI PO
SVIT. QVAE VIXIT MECVM
ANN. XIIII. MATER FILIORVM
VII. EX QVIBVS RELIQVIT II· TVP. ET
TVPEPROEOS

cujus poſtrema verba TVP. &c. ita lego : TV PETE TV PETE PRO EOS . Atque in hoc formularum genere, haec praecipue commonſtrat Chriſtianorum ſpem maximam in eorum preces , quos e mortali vita egreſſos aeternae beatitatis jam compotes factos exiſtimabant.

Inutile non erit hîc breviter animadvertere varias ſpecies hujus formulae exoratoriae . Quandoque enim qui defuncto monumentum ponebant , ejus preces pro omnibus Fidelibus generatim expoſcebant , ut in noſtra : PETAT PRO NOBIS , aliquando parentes a filiis pro ſe ipſis petebant , ut ſunt illae : ORA PRO PARENTIBVS TVIS (*b*) : PETE PRO PARENTES TVOS (*c*) : ita fratres & amici a fratribus amiciſque preces pro ſe ipſis poſtulabant : PETE ET ROGA PRO FRATRES ET SODALES TVOS , legitur apud Bonarotium (*d*) ; & PETAS PRO SORORE TVA , apud Marangonium (*e*) . GREGORI SALVE ORESII SEMPER RECORDARE, inter Muratorianas Inſcriptiones (*f*), & ita porro . Hic

(*b*) Mur.p.1883.
(*c*) Id.p.1969g11.6.
(*d*) Bonar. in Vitr. Coemeter. p.167.
(*e*) Lib.cit. p.156.
(*f*) Mur.p.1883.2.

(1) Hic ſuppleri poteſt : EXSVPERANTIVS.

Hic autem mos, ſcribendi nimirum exoratorias hujuſmodi formulas in ſepulchralibus titulis, in alium converſus eſt. In quibuſdam enim ſepulchralibus inſcriptionibus, qui tumulatus eſt, inducitur opem & preces expoſcens ab iis, qui adhuc ſuperſtites ſunt. Ita apud Muratorium *(a)*: MOSCHVS DIACONVS dicitur OĒS EXPOSCENS VT PRO ME DOMINVM ORETIS, & Martinus Epiſcopus ſic orans inducitur *(b)*: ROGO VOS OĒS QVI HINC TRANSITIS ORAĒ PRO ME. Et hujus rei innumera pene exempla obvia ſunt. Animadverti autem hujus poſtremi generis formulas ad ſequiora tempora ſpectare; nec ulla hujuſmodi (quod ego ſciam) legitur in monumentis Coemeterialibus, excepta illa: ORO VOS ſola in lapide Coemeteriali inſcripta, quam refert Boldettus *(c)*.

(a) Mur. p. 1914.

(b) Id. p. 1910. a.

(c) Lib. II. c. VIII. p. 436.

XV.

LEONIIS QVE· VIXXIT· ANNOS XX ME
QVE VIXIT CVM MARITO SVO ANNOS III
MENSS X· dI XV· dEPS· qII· IdVS FEB

Erutus hic lapis cum tribus ſequentibus an. MDCCLXII. *ex ruinis Coemeterii Cyriacae prope Baſilicam S. Laurentii, in agro Verano.*

XVI.

EVGRAFVS· QVI VIXIT· ANN· XIII
ME. V. BENE· MERTI· IN PACE

EVGRAFVS. *Bene ſcribens* ab εὖ & γράφων; adeoque Eugraphus ſcribendum fuiſſet.

MERTI. Lege BENEMERENTI.

XVII.




. . . ANO. PVERO. BENEMERENTI
QVI. VIXIT. ANNIS. PL. ML. VIII. M V.

XVIII.

A ꟻA PIV
CONPAR

XIX.



(a) Donat. lib. v. de Genere.
(b) Priſcian. lib. v.

EVCARIO. *Eucarium* eſt *Muciani* uxor. *Sunt alia tono neutra, intellectu foeminina ut Phroniſium, Glycerium, Sophronium, quae mulieres ſunt,* inquit Donatus (*a*). Similia docet Priſcianus (*b*). Hoc autem contingit in nominibus, quamvis non in omnibus, quae

ex

ex graeca lingua ad latinam transferuntur, cujuſmodi eſt *Eucarium*; adeoque *Euchario* ſcribendum fuiſſe quiſque agnoſcit.

XX.

Q. OFELLIVS LASIVS. F. AVR. SECVNDINE COIVGI B. M.
CVM QVA VI. XI. M. XI. D. XXI
QVEEVIIT SIGNO SIRICA. Q. VIX. ANN. XVII



Erutus eſt hic lapis anno MDCCLXII. *ex ruinis cujuſdam Coemeterii, prope Baſilicam Sancti Laurentii in agro Verano.*

QVEEVIIT SIGNO SIRICA. Explico: *Quae fuit* SIGNO SIRICA. *Signum nihil aliud eſſe quam populare agnomen* ſtatuit Cl. Bimardus (*a*), & unice protulit verba Vopiſci de *Aureliano* ita ſcribentis (*b*): *Cum eſſent in exercitu duo Aureliani Tribuni* (*hic, qui poſtea regnavit, & alius, qui cum Valeriano captus eſt*) *huic* Signum *exercitus appoſuerat, manu ad ferrum*. Sed in hanc rem illuſtriora profecto ſunt Julii Capitolini, Lampridii, & Spartiani teſtimonia. Jul. Capitolinus de Gordiano Juniore haec habet (*c*). *Antoninum filium ipſe ſignificare voluit in Senatu*, nimirum filium ſuum *cognominari* voluit *Antoninum*, ut perſpicuum eſt ex ipſo Capitolino (*d*), qui ita ſcribit. *Jam illud ſatis conſtat, quod filium Gordianum nomine Antonini ſigno illuſtravit, cum apud Praefectum aerarii more Romano profeſſus filium, publicis actis ejus nomen inſeruit*. Lampridius autem in Commod. (*e*) inquit: *Pro Decembri Amazonium ex ſigno ipſius adulatores vocabant*. Denique Spartianus in Peſcenn. Nigr. ait: *Quod omnino intellectum non eſt, niſi cum Baſſianus Antonini, quod verum ſignum Pii fuit, nomen accepit*.

Si igitur *Signum*, nihil aliud eſt quam *nomen* aliquod, τὸ SIRICA erit nomen Aureliae Secundinae, ut diſtingueretur ab aliis foeminis, quae *Aureliae Secundinae* appellarentur. Et ſane apud Cl. P. Lupium videre

Xx 2 eſt

(*a*) Bimard. To. 1. Novi Theſ. Murat. diſſert. 1. col. 89.
(*b*) Vopiſc. de Aurelian. cap. VI.
(*c*) Jul. Capitolin. cap. 17.
(*d*) Idem in Gordian. c. 4.
(*e*) Lamprid. in Commod. c. 11.

eſt (*a*) monumentum alterius Aureliae Secundinae, cui fortaſſe ob eamdem rationem aliud nomen additum eſt. Lapis ex (*Coemeterio S. Hermetis*) hujuſmodi eſt:

(a) Lup. in Epitaph. Severae M. pag.117.

AVRELIAE
SECVNDI
NE QVE ET LV
TICVRRIA PO
SVIT FELICISSI
MVS COIVX

XXI.

BITALIANO SIGNO CEPVLA
BENEMERENTI IN PACE FECERVNT
PARENTES

Hic etiam lapis cum ſequenti erutus eſt ex ruinis Coemeterii Cyriacae in agro Verano anno MDCCLXII.

SIGNO CEPVLA. Quae dixi de SIGNO SIRICA, eadem de SIGNO CEPVLA dicenda ſunt. Idem vero eſt ac ſi diceretur: *Bitalianus*, *qui & Cepula*; quam dicendi formulam in pluribus Inſcriptionibus etiam Chriſtianis obſervavi. Illae autem in quibus habetur τὸ SIGNO, rarae admodum ſunt. Siquidem unam legi & alteram tantummodo apud Fabrettum (*b*): *Aufidiae Severinae* SIGNO FLORENTI, & unica apud Cl. Bimardum (*c*) *Lucili Macrobii*, SIGNO SARPICI.

(b) Fabr. Inſcript. pag.252.

(c) Bimard. loc.cit.

DVL-

XXII.

DVLCISSIME MTRI SILVIOLÆ BENEDICT...
FILIIEIVSCOMPARAVERVNT QVE VIXIT A....
BENEMERENTI INPACE DIE XII KAL.MAI.DN.ARCAD...
ET PETRONIO PROBO VC. CONSS.

ARCAD ... Hic ſuppleri debet Conſulatus VI. Arcadii Aug., nam *Petronius Probus* reperitur tantummodo Collega Arcadii Coſ. VI. an. CCCCVI.

XXIII.

BENEMERENTI ET
INNOCENTI LEAE
QVE VIXIT ANNOS
XI. M. X. DIES XX. DIP
III. KAL. FEB. VALENTINI
ANO. III. ET VALENTE III

Erutus eſt hic lapis, una cum ſequenti, ex eodem Coemeterio hoc anno MDCCLXV.

XXIV.

CONIVGE. DVLCISSIME. HIDONITATEM
SVPER QVAM MARITVS LEOPARDVS
FECIT. QVE. VIXIT ANNOS
XXXIIII. MESIS. X
DEPOSITAS. III. NON. AVG. BENE
MERTI. IN. PACE BALBINEM

HIDO-

HIDONITATEM. Ex hac voce, & alia QVANM in altera linea, & MESIS. lin. 4. DEPOSITAS. lin. 5. BALBINEM in poſtrema, nemo non videt, Inſcriptionis Authorem Barbarum quemdam fuiſſe, cui latina lingua inaudita quidem non eſſet, ſed ejuſdem linguae κανώνας parum calleret. Quare pro HIDONITATEM lego HIDONITATI, ſumendo hanc vocem pro nomine illius foeminae.

SVPER QVANM. (ideſt *quam*) MARITVS LEOPARDVS FECIT, nimirum *vixit*, ut omnes norunt (1). Docet ergo *Leopardus* (quamquam opus non erat), ſe poſt mortem ſuae Conjugis adhuc vixiſſe. Ita in Inſcriptione apud Fabrettum (*a*) dicitur Baſilius vixiſſe SVPER SOROREM SVAM.


(a) Fabrett. Antiq. Inſcr. c. VIII. n. 18.

BENEMERTI. pro Benemerenti.

BALBINEM. Hoc arbitror eſſe aliud nomen ejuſdem foeminae, cui poſitum eſt monumentum. ita ut ſenſus ſit: *Vale o Balbina*; hujuſmodi enim ſalutationes in Chriſtianorum Epitaphiis inuſitatae non ſunt.

XXV.

DEIVLIAS



ASALHINPЄQVЄAXXXME
BЄNEMPECRISToPHCESoRo
BENESoDVSPACESoRo

Repertus eſt lapis hoc ipſo anno MDCCLXV. *in eodem Coemeterio*.

Graphio leviter expreſſae ſunt hujus Inſcriptionis literae, rudes admodum, & inelegantes. Ita autem imperitus fuit author hujus Epitaphii, ut in eo interpretando cuilibet ſit divinandi poteſtas. In tanta vero obſcuritate lucem aliquam praefert prima illa vox ASALH, quae

(1) Hoc pluribus monumentis demonſtrat Fabrettus c. VIII. p. 551.

quae graeia eſt, ut mox dicendum erit. Quare non multum a veritate aberraverit, qui dixerit, ſcriptum eſſe Epitaphium ab homine Graeco linguae latinae prorſus ignaro, qui tamen imitari voluerit latinas formulas in aliis ſepulcralibus titulis Chriſtianorum uſurpatas.

DEIVLIAS. Sumo literam E graeco more, pro quinario numero, & lego *Depoſita V. Julias* nimirum *die V. Julii*. Qui enim audierat in communi ſermone, aut legerat in noſtris Inſcriptionibus Nonas, Idus, Kalendas Majas, Junias, Julias, & alias Latinarum vocum inflexiones ignoraret, facile poterat *Julias* pro *Juliis* uſurpare.

ASALH. Haec mere graeca vox eſt, de qua multa accurate Henricus Stephanus ad V. Σάλος. Eſt autem ἀσάλης, *immotus*, *ſtabilis*, cui opponitur ἐπίσαλος, *inſtabilis*, *mobilis*. Quapropter Chriſtianae foeminae nomen iſtud ASALH egregie convenit.

Corruptam vero Inſcriptionem ita ſuppleo, & interpretor, latino more.

ASALAE in PacE QVaE Annorum XXX *Mortua eſt*.
BENEMErenti in ChRISTO. Fecit SOROri.
BENESODVS. in PACE SOROr.

vel hac alia ratione:

ASALAE in PacE QVaE vixit Annos XXX. Menſ.V.
BENEMErenti in CHRISTO. PICE SOROr.

BENEmerenti SOrori. DepoſitVS (ideſt depoſita) in PACE SOROr. Exempla afferre poſſem ex aliis hujuſmodi Inſcriptionibus deſumpta, in quibus ſimilis corrupta ſcribendi ratio, & graecae cum latinis vel literis vel locutionibus permixtae apparent; ſed in hac re plerumque parvi facienda ſunt ſimilia exempla, & de his Cl. P. Lupius (*a*) jam plura diſſeruit.

(*a*) Lup. in Epitaph. Sever.

+ PE-

XXVI.


✠ PETRVS INDIGN
S PRESBITER TT PA
MATHII IOHIS ET PA
VLI DEPCOR OMS SI
T NVLLVS VIOLET
HVC SEPVLCHVM
ET QVI PRESVMSERI
T IN DIE M IVDICII
NON RESVRGAT

TT PAMATHII. ideſt *Titulo Pamachii*. Inter eos qui interfuere Concilio Romano ſub Joanne XII. anno CMLXIV. coacto, reperio etiam quemdam Petrum Presbyterum Cardinalem *SS. Joannis & Pauli titulo Pamachii*. Hic Presbyter cum noſtro convenit tum nomine, tum titulo, utrum conveniat etiam aetate, non conſtat.

DEPCOR OMS. *Deprecor omnes*. Hujus generi exoratorias formulas, imo etiam imprecatorias, ut noſtar haec QVI PRESVMPSERIT &c. in Inſcriptionibus Coemeterialibus vel rariſſime, vel numquam legi. In monumentis ſequioris aevi frequentiſſime occurrunt.

Ex

XXVII.



Ex hoc lapide, & ex aliis plurimis huic ſimilibus, qui ex ſacris Coemeteriis eruuntur, optime intelligimus, nihil magis cordi fuiſſe Chriſtianis, quam ut oſtenderent ſe in Catholica communione extremum diem clauſiſſe. Itaque relictis nomine & proprio & gentilitio, & patriae & annis vitae, nonnullis ſatis erat aliquo Religionis noſtrae ſymbolo monumentum inſignire. Atque hinc eſt, quod in quibuſdam loculis Coemeterialibus deeſt quidem defuncti nomen, ſed in topho Chriſti monogramma inſculptum eſt, vel aliud ſignum veteribus Chriſtianis uſitatum.

Quid ſibi velit aliud inſtrumentum in hoc lapide, inſculptum, definire non audeo. Rudis cultri figura videtur eſſe. Novimus porro veteres Fideles conſueviſſe aliquando in ſepulchralibus tabulis inſculpere quaedam inſtrumenta, veluti indicia illius artis, quam ibi tumulatus, vivens profeſſus fuerat, ut etiam in noſtro monumento Julii Magiſtri (*a*): in aliis vero inſtrumenta, quae indicarent, quo Martyrii genere quis obiiſſet; ut apud Boldettum (*b*) plura hujuſmodi videre eſt. Laudatus Author cujuſdam Martyris ſepulchralem tabulam refert (*c*), in qua cernitur inſtrumentum huic noſtro ſimillimum. Quamobrem ſi conjecturis indulgere licet, haec tabula fortaſſe tegebat loculum Martyris cujus nomen ignorabatur, ut ex hoc inſtrumento, & ex Chriſti monogrammate diſceremus, virum ibi depoſitum pro

(*a*) Pag. 345.

(*b*) Boldet. lib. I. cap. LX. pag. 315. & ſequ.

(*c*) Id. p. 316.

Yy Chri

Chriſti martyrium ſuſtinuiſſe. Verum, ut haec conjectura ſatis valida foret, ſcire oporteret, utrum noſter hic lapis ſaltem inter loculos SS. Martyrum repertus fuerit. Arbitror enim fuiſſe in Coemeteriis peculiarem locum in quo Martyrum exuviae conderentur, & aliquos Martyres ibi depoſitos, quin eorum tumulo inſcriptum fuerit proprium nomen, vel appellatio Martyris, vel appoſitam ſanguinis ampullam. Qua de re alio tempore diſſeram.

Dum Chriſtianas Inſcriptiones a Muratorio collectas pervolverem animadverti quaſdam ipſius adnotationes non ſatis caſtigate propoſitas. Itaque veluti coronidis loco paucas in Muratorium animadverſiones addere contentus ero. Primo itaque affert ſequentem inſcriptionem:

XXVIII.

HIC REQVIESCIT IN PACE
BENVS FILIA REBBITIS
ABVNDANTI QVI VIXIT
ANNIS IL M XVII. D. P. II. ID
IVN. &c.

(ſequuntur deinde literae Rabbinicae, quae, ut ipſe conjicit, ſignificant: *Et Fratri pacifico in pace* ſecura *poſſeſſio ejus*): & ait: *Hinc diſcimus*, *formulas* in pace, *&* depoſita *non Chriſtianis tantum*, *ſed & Judaeis fuiſſe communes: & fortaſſe illas a Judaeis mutuati fuere Chriſtiani*. Quamvis hoc a veritate non abhorreat (*a*), attamen, ex una tantum inſcriptione non admodum antiqua, ut commonſtrant Rabbinici characteres, eademque, ut ipſe fatetur, parum accurate deſcripta, illud ducere non debebat, quod ipſe magnopere vellet. Monere autem poterat, nos quidem vocibus potuiſſe cum Judaeis convenire, ſed re ipſa magnam cum ipſis nobis eſſe diſſenſionem; neque propterea neceſſarium fuiſſe, ut noſtri a Judaeis illam praeſertim formulam IN PACE

(*a*) Hebraeor Inſcriptiones cum formula IN PACE protulit etiam P. Oderic. p. 253. 254.

CE mutuarentur. Profecto pacem aliquam, & requiem animarum, etiam Gentiles, nedum Judaei poſt mortem ſperabant, & mortuum *in pace quieſcere* dicebant, ut de Antenore fatis functo Virgilius (*a*):

. . . . *nunc placida compoſtus pace quieſcit*.

Sed aliter nos *in pace* credimus *quieſcere* piorum animas, *in pace* nimirum *Domini*, *in pace Chriſti*, *in pace Dei*, ut quandoque etiam legimus in Inſcriptionibus Coemeterialibus (*b*), de qua pace egregie nuper diſſeruit Cl. Mazochius (*c*). Pacem hanc ignotam caeteris hominibus, cum noſtri ſolum agnoverint, neceſſe non erat, ut ad eam indicandam, a Judaeis mutuarentur formulam illam *in pace* in titulis ſepulchralibus, imo & in ſacra liturgia uſitatiſſimam. Si hoc monuiſſet Muratorius, pretium noſtrae formulae *in pace* a nemine in dubium vocari poſſet.

Nulla quoque dubitatio ſuboriri poſſet de maxima noſtrorum Martyrum multitudine, ſi ad titulum *Vincentiae Infantulae* haec non adnotaſſet (*d*): *In ſacris Coemeteriis duo potiſſimum mireris, nempe tot vaſa vitrea, aut figulina occurrunt, nulla tamen in ipſis Inſcriptionibus mortis pro Chriſto toleratae mentionem haberi; & praeterea infantes ob fidem Chriſti morti datos fuiſſe*. Atque id, quod de infantibus dicit, aliis in locis repetit (*e*). Sed non negaverit profecto Muratorius, ſaltem tribus primis Eccleſiae ſaeculis multa Chriſtianorum millia, in Urbe Roma, mortem pro Chriſto ſubiiſſe, & eorum corpora non alibi fere, quam in *arenariis*, ſive ut dici poſtea coeperunt, ſacris Coemeteriis tumulata fuiſſe; inter eos autem fuiſſe interdum infantes cum matribus trucidatos, manifeſta res eſt (*f*). Si in eorumdem Inſcriptionibus nullum mortis pro Chriſto toleratae indicium apparet, clariſſimum eſt illud, quod praebent vaſa ſanguine incruſtata, quibuſdam loculis diligentiſſime affixa. Non erat autem, cur vaſorum vitreorum aut figulinorum numerum ita exageraret. In infinito enim loculorum numero, qui in ſacris Coemeteriis ſubtus agrum Romanum, inſtar perpetui cujuſdam labyrinti diſcur-

(*a*) Virg. Aeneid. I.

(*b*) Mur. p. 1890. 3. 1885. 10. 1853. 3.

(*c*) Mazoch. in titulum Hilari in pace & fide conſtituti.

(*d*) Mur. p. 1868. 8.

(*e*) Id. p. 1928. 5.

(*f*) Vid. Boldett. Lib. I. c. 48.

currentibus excavati ſunt, pauci omnino ſanguinis vaſculum adjunctum habent: pauci quoque in quibus vaſculi veſtigium apparet, quod quidem celari non potuiſſet, ſi vaſculum aliquando adfuiſſet; ſublato enim, vel diffracto vaſe, vacuum in duriſſimo coemento veſtigium ſupereſſet. Haec teſtantur, qui ſacra Coemeteria diligentiſſime inſpexerunt: & de aliquibus Coemeteriis, ipſe etiam teſtari poſſum. Si haec loca Muratorius non luſtravit, potuit tamen ex Romae ſubterraneae Scriptoribus illa intelligere, quae adnotavi. Boldettus alicubi titulos ſepulchrales in Coemeteriis repertos quadringentos nonaginta exhibet (*a*). At in tanto numero unus & quinquaginta dumtaxat vaſculum ſanguinis adjunctum habuere. Inter hos nullus puer, ſed vel nulla, vel major aetas adſcripta. Rurſum alibi titulos ſex & ſexaginta recenſet, ex quibus non plures, quam quinque vaſculum habebant. Quae ſunt igitur tot iſta *vaſa vitrea, aut figulina*, quae in ſacris Coemeteriis *occurrunt*, quorum nimia multitudo dubium excitare poſſit, ſint ne tot Martyres ibidem ſepulti?

(a) Id. p. 473., & ſequ.

Sed tot ac tanta ſtudia quibus Cl. Vir Literariae Reipub. bono vacabat, ſinere non poterant, ut adaequatam Coemeteriorum ideam ſibi compararet. Quod quidem perſpicuum vel maxime eſt, ex iis, quae de Foſſoribus tradidit, quorum non rara mentio eſt in Coemeterialibus Inſcriptionibus. Ita enim adnotat ad Inſcriptionem *Terentii Foſſoris* (*b*). *Hanc*, inquit, *inter Chriſtianas recenſeo, quippe Foſſorum nomine venire illi ſolent, qui primis Chriſtianae Fidei ſaeculis, Romae in agro Suburbano terram effodiebant, atque fabricabant admiranda illa ſubterranea Coemeteria, quae* Catacumbe *nunc appellantur, ad ſepelienda Chriſtianorum corpora. Ipſi quoque Foſſores in Chriſtianorum caſtris militaſſe credendi ſunt, quod & ſubſequentes Inſcriptiones teſtari poterunt*. Admiranda quidem ſunt Coemeteria, ſed vix credibile videtur potuiſſe Populum Romanum, & Romanos Principes terrarum Dominos, tantam arenae & tophi vim e terrae viſceribus egerere, quantam egeſtam eſſe

(b) Mur. p. 1960. 3.

eſſe conſtat, ut immenſae illae, & innumerabiles cryptae formarentur, quae circa Urbem ad multa paſſuum millia ſub terram protenduntur, & quarum plurimae ita conſtructae ſunt, ut aliae infra alias excavatae ad magnam profunditatem deſcendant. Has arenarias ſeu Catacumbas, aut Coemeteria, ſiquis conſideret, judicare etiam poterit de maximis Romanorum aedificiis, & magnitudine Romanae Urbis, cui ornandae, & amplificandae tantum arenae & tophi impendere oportuit. Poſt haec nemini ſane in mentem venerit potuiſſe Arenarias iſtas, ſeu Coemeteria a Chriſtianis conſtrui, praeſertim iis temporibus, quibus nec numero plurimi erant prae Populi Rom. multitudine, nec opibus potentes, ſed abjecti potius, & humiles. Supra eorum vires omnino erat, ejuſmodi Arenarias conſtruere. Itaque Foſſorum munus erat parare loculos cadaveribus humandis, ac fortaſſe in iiſdem cryptis loca aptare, ubi altaria erigerentur, ubi Chriſtiani ad res divinas convenirent. Et hos quidem Foſſores, Chriſtianos fuiſſe dubium non eſt. Erat enim Foſſorum gradus quidam inter Eccleſiaſtica miniſteria, qui *Foſſarii* etiam dicebantur, de quibus Author Epiſtolae XIII. ad Ruſticum Narbonenſem (*a*) ita loquitur: *Primus in Clericis Foſſariorum ordo eſt, qui in ſimilitudinem Tobiae Sancti ſepelire mortuos admonentur*. Sed de *Foſſoribus*, ſeu *Foſſariis* plura Cangius (*b*), aliique rerum Eccleſiaſticarum Scriptores erudite tractarunt.

(*a*) Extat Tom. II. oper. S. Hieronym.

(*b*) Cang. in V. *Foſſor*.

XXVIII.

. . . . VELLAINPACENOMINE
. . . . ANNORVMQVATTVOR
. . . . CONSVLATVMAXIMO
. . . . TERIOVVCCCONSVLIBVS
. . . . IIIIKALIANVAR DIE SOLIS

Cum haec praelo ſubjecta eſſent, allatus eſt in Biblio-

bliothecam noſtram hic lapis, in quadam vinea extra Portam Latinam repertus, & ex alicujus Coemeterii ruinis, ut videtur, effoſſus, qui licet mutilus ſit, hic tamen locum meretur.

In primo verſu hujus Inſcriptionis quiſque videt ſupplendum eſſe: *Deceſſit*, vel *Depoſita Puella*, in altero autem ejuſdem puellae nomen deſiderari.

TERIO. ideſt PATERIO. Collegam *Anicii Petronii Maximi*, qui Conſulatum geſſit an. Chriſti CCCCXLIII. *Paterium fuiſſe*, non *Paternum*, ut viſum fuerat Cuſpiniano, Panvinio, aliiſque, ex fide veterum Scriptorum oſtendit Pagius (*a*). Id autem ex hoc marmore confirmatur: nec dubito, quin hoc ipſum demonſtret aliud fragmentum Inſcriptionis a Muratorio allatum (*b*), quod hujuſmodi eſt:


(*a*) Pag. in Critic. Annal. Eccleſ. ad hunc ann. n. 1.

(*b*) Mur. in Append. p. 1997. 5.

AN. PL. M. XLI. D. XIII. KAL. NOB
PATERI ET MAXIMI

Alibi protulerat (*c*) hoc idem fragmentum non ſine aliqua varietate, & adnotaverat, oſcitanter a marmorario ſcriptum fuiſſe PATERI pro PATERNI; exiſtimavit enim hunc eſſe *Paternum*, qui anno CCXXXIII. Conſulatum cum *Maximo* geſſit. Sed non erat profecto, cur ullum hic mendum ſuſpicaretur, cum in faſtis Conſularibus praeter *Maximum* & *Paternum*, qui Conſules fuere anno CCXXXIII., habeamus etiam *Maximum*, & *Paterium*, qui anno CCCCXLIII. Conſules proceſſerunt.

(*c*) Idem p. 358.



Ex ruinis Coemeterii Cyriacae.

LECTO-

LECTORI
ΦΙΛΟΣΤΟΡΓΩΙ
FRANCISCUS ANTONIUS SANDRIUS
MONACHUS CAMALDULENSIS.

ΕΥΤΥΧΙΑΝ.

EN tibi, Lector Φιλόςοργε, Graecas aliquot Inſcriptiones, non equidem multas, nec magni momenti, ſi unam fortaſſe, & alteram excipias, ſed quae tamen praetermittendae non fuerant, ut fere ſolet Eruditis placere hoc qualecumque ſit monumentorum genus. Primae Inſcriptionis fragmentum licet exiguum, magno tamen ornamento eſſet locupletiſſimae cuilibet collectioni. Nullibi enim plures habemus Archontes; plures ludos, feſta, certamina uno monumento expreſſa, ac fortaſſe praeclarum hoc marmor ex Atticae Regionibus cum aliis Graecorum ſpoliis Romae advectum fuerat. Reliquae Inſcriptiones, vel nuper erutae ſunt, vel undeunde collectae. Quoniam vero earum aliquae, licet editae ſint, nequaquam tamen ἀρχετύποις *reſpondent, has rurſum dabo ſumma fide exſcriptas. Habeto igitur tenuem opellam* πεληναίῳ χιτῶνι *indutam, in qua ſi non eruditionem in antiquis Inſcriptionibus illuſtrandis; at certe diligentiam in exſcribendis, & latine vertendis tibi me probaturum confido.*

INSCRI-

INSCRIPTIONES GRAECAE.

I.

. . . . , ...
. . . . ΕΠΙΧΙΩΝΟΣΜΑΙ . . . .
. . . . . . ΞΔΙΟΝΥΣΟΥΓΟΝΑ . . . .
. . . . . ΑΜΠΡΑΚΙΩΤΙΔΙΓ ΕΝ . . . .
. . . . ΓΡΑΤΟΥ ΕΡΕΧΘΕΙ Ε . . . .
. . . ΛΕΙ ΕΠΙΧΑΡΙΣΑΝΔΡΟ . . . .
. . . ΠΟΔΑΜΑΝΤΟΣ ΙΕΙ Ε . . . .
. . ΟΔΥΣΣΕΙ ΕΠΙΚΗΦΙΣΟΔ . . . .
. . ΕΠΙΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ ΑΓ . . . .
. . ΙΠΠΟΥ ΛΗΝΑΙΑ ΕΠ . . . .
. . ΩΙΩΙ ΕΠΙΝΑΥΣΙΓΕΝΟΥ . . . .
. . . ΞΝΑΣΤΕΙ ΕΠΙΧΙΩΝΟΣ . . . .
. . . . . ΕΙ ΕΠΙΑΓΑΘΟΚΛΕ . . . .
. . . . ΠΙΘΟΥΔΗΜΟΥΑ . . . .
. . . . ΟΥΑΝΤΕΡΩΤΙΙ . . . . .
. . . . ΙΙΚΑ ΛΗΝΑΙ . . . . .
. . . . ΙΕΝΑΣΤ . . . . . .
. . . . ΙΙ ΕΤ . . . .
. . . . ΑΡ . . . .

II.

. . . ΟΣΠΡΩ . . .
. . . ΙΚΗΣΕΚΑΙ . . .
. . . ΤΑΤΟΝΓΥΜΝ . . .
. . . ΩΙΗΥΔΙΣΕΜΕ . . .
. . . ΙΔΚΑΙΑΔΕΙ . . .
. . . . . ΙΠΡ . . . .

Utrum-

Utrumque hoc Fragmentum Atticae Inſcriptionis erutum fuit anno MDCCLXII. in quadam vinea extra Urbem; ac primum quidem erat in plures partes diſſectum, de ſecundo autem dubitavi num pars eſſet ejuſdem, an alterius Inſcriptionis. Sed quia minor eſt marmoris hujus craſſities, & literae licet elegantiſſimae, ut in ſuperiori fragmento, tamen aliquanto etiam minores & exiliores ſunt; propterea non ejuſdem, ſed diverſae Inſcriptionis eſſe hanc particulam cenſeo, ita tamen, ut utraque ad eamdem rem pertineat, ut infra exponam.

Apparent in primo Fragmento decem Archontes Ἐπώνυμοι, quos nuper ab eruditiſſ. Viris Prideauxio, & Corſinio editos, ſervato Inſcriptionis ordine, hic recenſere juvat.

Verſu I. & II. ΕΠΙ ΧΙΩΝΟΣ ſub Chione Archonte Olymp. CIII. 4.
V. 4. Ἐπὶ ΛυσισΤΡΑΤΟΥ Lyſiſtrato Ol. CII. 4. vel ΚάλλισΤΡΑΤΟΥ Calliſtrato Ol. CVI. 2.
V. 5. ΕΠΙ ΧΑΡΙΣΑΝΔΡΟυ Chariſandro Ol. CI. 1.
V. 6. Ἐπὶ ΙπΠΟΔΑΜΑΝΤΟΣ Hippodamante Ol. CI. 2.
V. 7. ΕΠΙ ΚΗΦΙΣΟΔώρȣ Cephiſodoro Ol. CIII. 3. CV. 3. CXIV. 2.
V. 8. ΕΠΙ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΥ Apollodoro Ol. CVII. 3. CXV. 2. & CXXXVII. 3.
V. 9. Ἐπὶ ΑρχΙΠΠΟΥ Archippo Ol. CXIV. 4. CV. 3.
V. 10. ΕΠΙ ΝΑΥΣΙΓΕΝΟυς Nauſigene Ol. CIII. 1.
V. 12. ΕΠΙ ΑΓΑΘΟΚΛΕους Agathocle Ol. CV. 4.
V. 13. ΕΠΙ ΘΟΥΔΗΜΟΥ Thudemo Ol. CVI. 4.

Illud vero in hiſce Archontum nominibus ſingulare, eſt quod Archon poſtremae Olympiadis CVI. 4. ab haeſitatione Scriptorum vindicatur, ejuſque genuinum nomen agnoſcitur. Praeclariſſ. Corſinius Archontem illum ex Diodoro (a) & Dionyſio (b) vocavit Eudemum; Scaliger vero appel-

(a) Diodor. lib. 16. cap. 32.
(b) Dionyſ. in Dinarco n. 13.

appellaverat Eutydemum, & Theodemum; quin etiam Thumedum, quem pro Theophilo conſtituebat in an. 1. Olympiadis CVIII. Dionyſius (a) promiſcue ſumit Theodemum, & Eudemum, inquiens: ἐπὶ δὲ Θεοδήμου τοῦ μετὰ Διότιμον ἄρξαντος .... μετὰ δὲ Εὔδημον ἦν Ἀριστόδημος Ἄρχων: *ſub Theodemo, qui poſt Diotimum Archon fuit.... poſt Eudemum vero Ariſtodemus Archon fuit*. Nam juxta illum Diotimo, qui ſpectat ad an. 3. Ol. CVI. ſucceſſit Eudemus; Eudemo Ariſtodemus. Sed *Thudemus* eſt illi nomen, qui pro Eudemo, aliiſque ſuperius numeratis Archontibus locandus eſt in an. 4. Olympiadis CVI. Huic autem rei aſſenſum praebuit idem cl. Corſinius quem conſului. Cum igitur dubia ſit Dionyſii mens, & aliorum, qui verum *Thudemi*, nomen ignorarunt, eam vetuſtiſſimo marmore firmare poſſumus ac definire.

(a) Dionyſ. Epiſt. ad Ammae. n. 4.

Deinde Hippodamas ab unico Diodoro (b) atque ab Athenienſi alia Inſcriptione ſolum commemoratus, hic denuo profertur.

(b) Diodor. lib. 15. cap. 3.

Deinde Agones quoſdam, Ludos, & Feſta recenſet Inſcriptio in honorem Erechthei, Herculis, & Ulyſſis inſignium Atticae Ἡρώων celebrata; nec non Dionyſia vel Bacchanalia paſſim ſpeciali nomine diſtincta.

V. 4. ΕΡΕΧΘΕΙ, *Erechtheo* Pandionis Filio ſexto Athenienſium Regi. Feſta vero aut certamina, quae hic Erechthei nomine videntur indicari, fortaſſe Neptunalia ſunt. Etenim Plutarchus (c) teſtatur, quod ille conſtituit Sacerdotium τοῦ Ποσειδῶνος Ἐρεχθέως, *Neptuni Erechthei*; imo & certamina, ἀγῶνα ποιεῖν. Athenagoras (d) inquit, Neptuno Erechtheo conſueviſſe ab Athenienſibus ſacra fieri. Scholiaſtes Ariſtophanis loquens de Umbella, quam Sacerdos Neptuni ferebat, ait: ὁ ἱερεὺς τοῦ Ἐρεχθέως φέρει, *Sacerdos Erechthei fert*. Denique ab Heſychio erudimur ſolo Erechthei nomine Ποσειδῶνα vocari. Ergo haec Feſta, quae Erechthei nomine circumferuntur, non inepte ποσειδώνια erunt.

(c) Plutarch. in Vita Licurgi.

(d) Athenag. Apol.

V. 5. ΗραϰΛΕΙ *Herculi*. Fuit Hercules Gymnicorum Agonum Deus, & Inventor; ideo Pollux (e) inquit: τινὲς τοὺς γυμνικοὺς ἀγῶνας σεμνότερον Ἡρακλέους ἀγῶνας ἐκάλεσαν;

(e) Pollux lib. 3. cap. 30.

λεσαν; *quidam gymnicos agones melius Herculanos agones vocarunt*. Ejus feſta nomine, & loco plura. Quaedam annua, quaedam Pentaëterica. Athenis ſolemni pompa agebantur, teſte Demoſthene (*a*) qui aſſerit, audita Phocenſium clade, civibuſque terrore perculſis, ab Athenienſibus decretum fuiſſe τὰ Ἡράκλεια ἐν ἄςει Θύειν, *Herculana ſacra in Urbe fieri*; num vero haec annua fuerint, vel pentaëterica, non plane conſtat. Videſis Meurſium, Caſtellanum, Potterum, Corſinium, alioſque.

(*a*) Demoſt. de fal. Legat. p. 216.

V. 7. ΟΔΙΣΣΕΙ *Uliſſi*, quem Scriptores Graecos, ac Latinos celebraſſe compertum eſt. Imo Veteres Ulyſſem, tamquam Numen, colebant. Haec ex Homero (*b*) habes: ἤ μάλα τίς Θεός ἐσσι τοὶ ὐρανὸν εὐρὺν ἔχυσιν *certe prorſus aliquis Deorum es, qui cœlum latum habitant*.

(*b*) Odyſſ. Π. v. 56.

V. 9. & 15. ΛΗΝΑΙΑ, *Lenaea* Feſta Baccho Lenaeo ſacra. Heſychius (*c*) teſtatur: ἐπὶ ληναίῳ ἀγών. ἔςιν ἐν τῷ ἄςει λήναιον, περίβολον ἔχον μέγα, καὶ ἐν αὐτῷ ληναίυ Διονύσυ ἱερὸν, ἐν ᾧ ἐπετελῦντο οἱ Ἀγῶνες Ἀθηναιων. *In Lenaeo certamen. Eſt Lenaeum in Urbe ambitum magnum habens, atque in eo Lenaei Bacchi Templum, in quo Athenienſium certamina agebantur*.

(*c*) Heſych. in ἐπὶ ληναίῳ.

V. 11. 12. 16. ΕΝΑΣΤΕΙ, *ab Urbe*, ſeu Urbana Feſta pariter Baccho ſacra. Ariſtophanis Scholiaſtes (*d*) ait: ὁ τῶν Διονυσίων ἀγὼν ἐτελεῖτο δὶς τῦ ἔτυς. τὸ μὲν πρῶτον ἔαρος ἐν ἄςει. *Dionyſiorum certamen bis in anno peragebatur, primum quidem vere in Urbe*. Demoſthenes vero ἐπὶ Ληναίῳ πομπὴ..... τοῖς ἐν ἄςει Διονυσίοις ἡ πομπὴ, *in Lenaeo pompa ..... & in urbanis Dionyſiis pompa*: Praeterea ſunt & ruſtica Feſta, quae vocabantur ἐν αγροῖς, vel κατ' αγρὺς. Sed hic non recenſentur. Inſignia tamen ſunt Lenaea, Urbana, & ruſtica, de quibus fuſe cl. Corſinius (*e*). Haec ſatis certa videntur, ſed quaeret aliquis cuinam tandem poſita fuerit praeclara haec inſcriptio? Hac in re, ſi quod ſentio proferam, uno, vel multis plurium palmarum hominibus marmor inſcribi videtur, quorum nomina jam antea in vertice, ut plerumque fit, inſculpta legebantur. Tria conjecturae huic arrident. I. Littera Γ verſus 3. quae, niſi ad Erechtheum, Hercu-

(*d*) Ariſtoph. Schol. ad Achar. Act. II. Sc. 5.

(*e*) Corſin. Diſſertat. XIII.

lem, & Ulyſſem referatur, trium palmarum numerum alicujus Athletæ definire poterit, & alia numeralis litera, quam in fine verſus 14. ſupponere fas eſt. II. vox NIKA verſus 15. Dorice pro νίκη, victoriam indicabit. III. Parvum aliud fragmentum eodem tempore, ac loco erutum, quod ſupra dedimus num. II. illud idem demonſtrat. In illo enim, lego.

V. 2. ενΙΚΗΣΕ *vicit*.

V. 3. ΛαμπρόΤΑΤΟΝ ΓΥΜΝασιάρχην, *ſplendidiſſimum Gymnaſiarcham*.

V. 5. ΚΑΙ ΑΛΕΙπτην, *& certaminis Moderatorem*. Cuique porro notum eſt quodnam fuerit Gymnaſiarchæ & moderatoris munus & officium, nempe inſtituendi pueros, aut Ephebos ſeſe in Gymnaſio exercentes. Hac de re videſis Prideauxium *(a)* & Corſinium *(b)*.

(a) Marmor. Ox. pag. 83.
(b) Corſin. diſſ. XI.

Habemus itaque vel in hoc fragmento vera Certaminum, Praefectorum, & Palmarum indicia. Igitur ſive quis dixerit, in vertice primi fragmenti affixum fuiſſe hunc Lapidem, ſive a latere columellam quamdam efformaſſe, ſemper tamen merito ſuſpicari poſſumus, ad aliquos Athletas, & Victores utroſque lapides pertinere.

Sin verò minus placet haec opinio, ſuſpicari quis poterit voluiſſe Athenienſes perpetuam illuſtrium feſtorum ſeriem in prima illa Inſcriptione contexere; in altera autem Athletarum, & Praefectorum, Victorumque nomina poſteris tradere; Quid enim abſonum, aut repugnans? Frequentia Ludorum, Feſtorumque paſſim occurrentium; ſpatium & diſtantia, quibus eadem dirimuntur; ipſa quoque Archontum perturbatio in id convenire videntur, ut Feſta praeſertim, & certamina, & ſi quae alia fuerint ob oculos ponant. Denique Archontes illos ſuperius expoſitos, quorum ordo invertitur, etiam ex hac altera conjectura, non aegre conciliarem. Ludis namque ſubſcribuntur, qui Ludis praefuerunt, Feſtis vero, qui Feſtis. Plura alia peritiores viderint, mihi in caeteris aqua haeret.

ME-

III.

ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΔΙΟΠΕΙΘΟΥΣ
ΚΗΦΙΣΙΕΥΣ ΕΓΕΝΝΗΘΗ ΕΠΙ
ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΣΩΣΙΓΕΝΟΥΣ
ΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ ΕΤΩΝ Ν'
ΚΑΙ Β'. ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΦΙΛΙΠΠΟΥ ΚΑΤΑ ΤΟΒ
ΚΑΙ Λ' ΕΤΟΣ ΤΗΣ ΠΤΟΛΕΜΑΙ
ΟΥ ΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΙΑΣ

Vertit cl. Corſinius.

Menander Diopithis (Filius)
Cephiſienſis natus eſt ſub
Archonte Soſigene,
Obiit annos natus quinquaginta
Et duos ſub Archonte
Philippo ſecundo ac trigeſimo
Anno regni Ptolemaei Soteris.

Variis caſibus jactata, quievit tandem in Bibliotheca noſtra celeberrima haec Ἐπιγπαφὴ, quam plures eruditi jampridem vulgarunt. Eorum nomina huc illuc dabimus, ut ratio poſtulabit. Alii ſiquidem appellant ἀπόκρυφον; alii mendoſam, atque alii contra χρονολογίαν Ptolemaei repugnantem. Corſinius vero (*a*) de Graeca Republica optimè meritus, veracem, & genuinam, & aſſerendis Archontibus idoneam putavit. Huic ergo in χρονατάξει adhaerebo. Eſt itaque Menander, cui ſacrum dicatumque marmor, inſignis ille novae comoediae Scriptor, de quo praeter Quinctilianum, Aulum Gellium, Svidam, alioſque veteres, conſulere poteris praeſertim Fabricium (*b*) & marmora Taurinenſia (*c*) ubi tum de hoc mar-

(*a*) Corſin. Faſt. Attic. Tom. IV. p. 76.

(*b*) Fabric. Biblioth. Gr. II. p. 767.

(*c*) Marm. Taurin. Parte I. num. 13. pag. 171.

marmore, tum de Menandro plura. Praeterea Menandrum Cephiſienſem Diopithis Filium appellavit etiam Apollodorus apud Gellium (*a*) inquiens:

(*a*) Gell. Lib. XVII. cap. 4.

Κηφισιεὺς ὢν ἐκ Διοπείθους πατρός.

Porro *Κηφισιεὺς* a *Κηφισία* urbe derivat, quam cum undecim aliis in unam Athenienſem civitatem contraxiſſe Theſeus dicitur. Haec ad Erechtheidem ſpectabat, ejuſque denominatio forte erat a Cephiſo amoeniſſimo fonte, qui circa Athenas im mare mittitur.

ΕΓΕΝΝΗΘΗ *ἐπὶ Ἄρχοντος Σωσιγένους*; Soſigenes fuit Archon Olympiade CIX. an. III. in quo conveniunt Diodorus, Dionyſius, Petavius, & laud. Corſinius.

(*b*) Grut. p. 1027.

ΕΤΕΛΕΥΤΗΣΕΝ *ἐτῶν* N̄ *και* B′. Gruterus (*b*) ſcripſit *ἐτῶν* N′ *καὶ* A, reliqui legerunt B′. Haec Litera ſane in marmore vitiata eſt ac ferme abraſa; ſed tamen ex lineamentis deducitur. Deinde conſtat ex Prolegomenis Ariſtophanis, Menandrum Athenis obiiſſe annorum LII. *τελευτᾷ δ' ἐν Ἀθήναις ἐτῶν ὑπάρχων νβ′*. Idem dixerat Apollodorus, quem nuper commemoravi; ſubdit enim:

Πρὸς τοῖσιν ἑκατὸν πέντε γράψας δράματα
Ἐξέλιπε, πεντήκοντα καὶ δυοῖν ἐτων.
Centum & quinque cum ſcripſiſſet fabulas
Fato functus eſt, annos natus quinquaginta & duos.

Anonymus vero Olympiadum Scriptor Menandrum biennio juniorem facit, dum inquit: *Μένανδρος Διοπείθους Κηφισιεὺς Κωμῳδοποιὸς ἐτελεύτησεν ἐτῶν ν′*. Verum non ſibi conſtat Anonymus; Siquidem cum Menandri ortum referat ad annum 3. Olymp. CIX. ejus mortem conſtituit in anno 2. Olymp. CXXIII. Numeratis quippe ab ea Olympiade annis L. mors incidet in annum 1. Olymp. CXXII.

ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ *Φιλίππου*. Anno 3. Olymp. CXXII. non vero anno 1. quemadmodum adnotarunt Euſebius & Petavius, neque anno 2. Olymp. CXXIII. juxta Anonymum mox relatum. Etenim ſi ortus Menandri incidit in annum 3. Olymp. CIX. Si denique aetas ipſius Menandri eſt annorum LII. ut demonſtravimus, revera hic Philippus, annis

annis LII. ſupputatis, pertinebit ad annum III. Olymp. CXXII. Philippum alterum, ſive eumdem, quem habet marmor, recenſet cl. Corſinius anno 4. Olymp. CXXI. Verum quiſque intelligit, hunc annum cum prioribus non convenire. Igitur, quoniam libera eſt ſedis Archontum Olympiadis CXXII. novus Archon Philippus Faſtis adſcribendus eſt. Et ſane de hac Inſcriptione inquit laud. Corſinius (a): *Archontis Philippi nomen ex præſtanti marmore affulget, quod Romæ poſitum reperitur.* (a) Corſ. ibid.

ΚΑΤΑ' ΤΟ Β' καὶ Λ'ἔτος τῆς Πτολεμαίȣ κ. τ. λ. Annorum ſeries hactenus deſcripta optimè, accurateque confirmatur ex adjecto Ptolemaei Regis anno; *Siquidem ille*, ait Corſinius, *anno* 4. *Olimp. CXIV. Archippo Archonte regnum ſuſcepit, ideoque* 32. *ipſius annus cum* 3. *Olympiadis CXXII. concurrit.* Auctores Commentariorum in Aul. Gellium hoc marmor illuſtrantes, putarunt cum Anonymo, & Petavio, Ptolemaei Soteris annos a morte Alexandri Magni computandos eſſe, quæ incidit in an. I. Olymp. CXIV. At diſſidentium opinio in re nondum ſatis explorata, magni, facienda non eſt; neque cum illa praeclarae, ac vetuſtae Inſcriptionis χρονοταξιν componere debemus.

IV.

Θ Κ
Π. ΑΙΛΙΩΙ
ΠΑΡΘΕΝΟ
ΠΑΙΩ . ΕΠΟΙ
ΗΣΑΝΕΙΝΕ
ΚΕΜΝΕΙΑΣ
ΑΥΞΗΣΙΣΗΓΥΝΗ
ΚΑΙΕΥΕΛΠΙΣΤΟΣ
ΑΔΕΛΦΟΣ.

Θεοῖς καταχθονίοις	*D. M.*
Π. *Αἰλίῳ*	*Publio Aelio*
παρθενο-	*Parthenopes*
παίῳ ἐποί-	*fecerunt me-*
ησαν ἕνε-	*moriae cauſſa*
κε μνείας	*Auxeſis uxor,*
Αὔξησις ἡ γυνὴ	*& Evelpiſtus*
καὶ Εὐέλπιςος	*frater*
ἀδελφός.	

ΑΥΞΗΣΙΣ ab *αὐξάνω*, *creſco*, *augeo*. Non raro hoc nomen Graeci, ac Latini mulieribus imponebant. ΑΥΞΗΣΙΣ ΑΝΔΡΕΟΥ Muratorius *(a)*. AVXESI CLAVDIAE Gruterus *(b)*.

(a) Murat. p. 1644.
(b) Grut. 654. 2.

Θ Κ



Θεοῖς καταχθονίοις
Παπείριος Ἑρ
μῆς Παπειρίᾳ
Πανθεία συμβίῳ
γλυκυτάτῃ μνή-
μης χάριν τύμ-
βον ἀνέστησα,
παραλαβὼν ἐ-
τῶν ιβ'. συζή-
σας ἔτεσιν η',
καὶ μησὶν ε'.

D. M.
Papirius Her-
mes Papiriae
Panthiae Conjugi
dulciſſimae me-
moriae cauſſa tu-
mulum excitavit,
quam duxit an-
norum XII. vi-
xit ſimul annos VIII.
& menſes V.

Aaa ΠΑ-

ΠΑΡΑΛΛΑΒΩΝ ΕΤΩΝ ΙΒʹ. Variae quidem ſunt veterum Graecorum leges, quae tempeſtivas nuptias conſtituunt, quemadmodum probe callent eruditi. Sec haec Papiria more Romano nupſit.


VI.

ΠΕΦΙΛΗΜΕΝΗ	*Pephilemene*
ΑΓΑΘΟΠΟΔΙ	*Agatopo*
ΑΔΕΛΦΙΓΛΥΚΥ	*Fratri dul-*
ΤΑΤΩΙΜΝΕΙΑΣ	*ciſsimo memo-*
ΧΑΡΙΝΖΗΣΑΝΤΙ	*riæ cauſſa, qui*
ΕΤΗ ΛΑ ΗΜ. Ι.	*vixit annos*
	XXXI. dies X.

Si appellativorum nominum rationem perſequi velimus, ΠΕΦΙΛΗΜΕΝΗ a φιλέω *Amata vel Dilecta*: ΑΓΑΘΟΠΟΔΙ ab ἀγαθὸς πȣ̃ς *pedibus celeri*, *forti*, vel *prudenti* ſive *ad curſum apta* ſignificat.

ΕΥΜΕ-

VII.



Εὐμελιξῆσαις	*Suaviter Vivas*
Μάρκον Αὐρήλιον	*Marcum Aurelium*
Σατουρνῖνον	*Saturninum*
Λαμπρότατον	*Splendidiſsimum*
Σεπτίμιος	*Septimius*
Ἑρμῆς	*Hermes*
Θρέψας.	*Nutritor*. (ſepulcro ornat)

Idem marmor exhibet Muratorius *(a)* ſed pro εὐμελιζῆσαις habet ΕΥΜЄΛΙ ΖΗΣ ΑΙΕΙ *dulcis vivas ſemper*, quod forte ex Ammanuenſium incuriâ. Itaque ea ſepul-


(a) Murat. 1441.

 cralis

cralis acclamatio componitur ab εὐ μέλι ζάω. ζῆσαις vero ab optativo aor. 1. act. ζήσαιμι, ut Grammatici loquuntur. Hinc ζῆσαις ἐν ἀγαθοῖς, *vive in bonis* legitur in Paterae Chryſtallinae labro. Vide cl. Lupi (*a*).

(*a*) Epitaph. Lupi Lev. p. 193.

VIII.




Vulgavit hanc Inſcriptionem eruditiſſ. P. Odericius (*b*); eam tamen hic iterum in lucem proferimus inſculptam; eſt enim aliquid in ejus literis inſolens, aut certe non obvium, quod libenter eruditi accipient. Vocem ACTOMAXHTOC idem cl. Vir optime interpretatus eſt *ſine bile*. Sed verti etiam poſſet: *ſine ſtomacho*, quemadmodum in quibuſdam Inſcriptionibus latinis videre eſt.

(*b*) Oderic. p. 181.

Θ K

IX.



Θεοῖς Καταχθονίοις

Ἥελιον θνῆτον παίδων βέλτισον ἁπάντων
Κάλλει τε, γνώμῃ τε, τρόποις τ', αἰδημοσύνῃ τε,
Εἰκόσῳ λυκάβαντι δόμους Ἀΐδαο μόλοντα
Σέμνος Παῖδ' ὁ Μύρων τειμήσας ἔξοχα πάντων
Τῷ δὲ τάφῳ κοσμεῖ Μνημοσύνης ἕνεκεν

D. M.

Mortalem hunc Helium, quo non praeſtantior alter,
Moribus, ingenio, forma, vultuſque pudore,
Anno bis deno infernas dum pergit ad oras,
Prae cunctis Natum Myron venerandus honorans,
Exornat ſacro Mnemoſyni tumulo.

Ad

Ad Ethnici hominis ſepulcrum poſitus fuerat hic Lapis, ac poſtmodum ad Chriſtiani pueri tumulum, obverſa fronte, & introrſum converſis literis, aptatus in Κοιμητηρίῳ Sancti Saturnini. Inde erutus eſt initio anni MDCCLXIII. & in Bibliothecam noſtram illatus, ex dono humaniſſimi Viri Auguſtini Honorantis Sacrar. Reliquiarum Praefecti. Eum ego ſtatim exſcripſi, & cum exemplum meum in manus cujuſdam Viri eruditi, neſcio quomodo, veniſſet, ille ad Cl. Lamium miſit, qui in Ephemeride Literaria ejus anni edidit ad diem XIX. Auguſti. Sed non erit, opinor, antiquitatum ſtudioſis ingratum, eandem Inſcriptionem hîc iterum legere, eamque ad ἀυτογράφȣ formam diligenter expreſſam cernere.

Pulcherrimum ſane eſt hoc Ἐπίγραμμα, ſed nulla, ut arbitror, declaratione indiget, ſi unam dempſeris vocem ΤΕΙΜΗΣΑΣ, quae raro cum ΕΙ pro Ι reperitur; ea tamen in marmoribus optimi aevi apud Sponium (a) ſculpta conſpicitur. Imo etiam Muratorius habet (b) ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ ΣΩΛΟΝΑ, *honorarunt Solonem*.

(a) Spon. Pop. Attic. art. 42.
(b) Mur. p 1217. 2.

ΜΝΗΜΟΣΥΝΗΣ nomen verto *Mnemoſynes*. Hanc enim tanquam Deam memoriae veteres colebant.

X.

ΟΙϹ. ΚΑΤΑ Κ
ΧΑΙΡЄ . ΚΛʹ
ΠΩΜΠ. ❦ ΑΦΡΟΔЄΙϹΙΑ
ϹΥΜΒΙΩ ❦ ΓΛΥΚΥΤΑΤῼ
ΑΝЄΘΗΚЄΝ
ΖΗϹΑΝΤΙ ЄΤΗ. Μ. ΜΗΝ. Γ
ΗΜЄΡΑϹ. ΙЄ

Θεοῖς

Θεοῖς Κατιαχθοίοις.	D. M.
Χαῖρε.	*Salve*
Κλ' Πωμπ. Αφροδεισια	*Claudio Pomponio Aphrodiſia*
συμβίῳ γλυκυτάτῳ	*conjugi dulciſſimo*
ἀνέθηκεν	*poſuit*
ζήσαντι ἔτη μ'. μῆνας γ'	*qui vixit annos* XL. *menſes* III.
ἡμέρας ιέ	*dies* XV.


XI.

ΑΥΡΗΛΙΟC. ΑΛЄ
ΞΑΝΔΡΟC. ΑΥΡΗ
ΛΙΩ. ΚΥΡΙΛΛΩ
ΑΔЄΛΦΩ

Aurelius Ale-
xander Aure
lio Cyrillo
Fratri.

CIC-

XII.



Στέφανος ἐποίησεν Εἰ-
δία θυγατρί τις ἔζησεν
ἐνιαυτὸν α. καὶ ἡμέρας κα.

Stephanus fecit Idiae
*Filiae, quae vixit an-
num* I. *&* *dies* XXV.

Hanc etiam ad Cl. Lamium idem Vir eruditus miſit; ſed non prorſus accurate exſcriptam. Eruta eſt ex eodem S. Saturnini Κοιμητηρίῳ, & Chriſtianae puellae loculum tegebat. Donavit idem Sacrarum Reliquiarum Praefectus.

ΕΙΔΙΑ nomen Filiae appellativum, quod alias deeſset; Sin vero quis ſumat pro ἰδία *propriae*, nil vetat. Siquidem Saturnino ειδίῳ τέκνῳ *proprio filio* inſcribitur marmor affixum περιςύλῳ Monaſterii D. Pauli extra muros in Via Oſtienſi.

ΤΙΣ plerumque eſt in marmoribus pro ὅς, & ἣ *qui, quae*. Boldettus (*a*) habet ΓΟΝΕΙΣΗΩ ΓΛΥΚΥΤΑΤΩ ΤΙΣ ΕΖΗΣΕΝ &c. *Goneſio dulciſſimo, qui vixit* &c. Verum hîc forſan pro ἥτις. Dicitur enim apud Gruterum (*b*) ΗΤΙΣ ΕΖΗΣΕΝ *quae vixit*. Vox igitur ΤΙΣ manca eſſe poteſt, quemadmodum mendoſa eſt copulativa particula καὶ verſu 3.

(*a*) Bold. p.420.

(*b*) Grut. p.608.

PAN-

XIII.



Non aliunde advecta eſt, haec Inſcriptio, ut ſuperiores omnes; ſed ſemper fuit in Eccleſia, ſeu Κοιμητηρίῳ hujus Monaſterii, ac fortaſſe pertinet ad ea tempora, quibus hoc ipſum Monaſterium incolebant Graeci Monachi, qui Benedictinis ſucceſſerunt multo poſt M. Gregorii aetatem. Mala certe ejus γραφὴ ſequiori ſaeculo exaratam oſtendit. Eam dedimus ad ἀρχετύπου formam accurate expreſſam, ut antiqnitatum cultoribus appareat, quam mirifice depravatam Gruterus & Muratorius exhibeant. Ita enim diverſam verbis, charactere, & loco, ubi eruta eſt, atque aſſervatur, iſti referunt, ut non eadem, ſed alia prorſus quaelibet eſſe videatur. Nam Gruterus (a) habet. (a) Grut.p.855.16.

Romae in S. Georgii in Arula.

 ΠΑΓ-

ΠΑΓΧΑΡΕΙ
ΑΕΙΜΝΗ
CΘΟΙC
ΜΕΡΙωΝΤΗ
ΜΕΤΡΙΑΞΙΑΙ

(a) Pag. 1047. 7. Et alibi (a)

Romae apud D. Gregorii in marm.

ΓΑΝ. ΧΑΡΕΙ. ΑΕΙ. ΩΝΗCΘΙC. ΩΡΟΩΝΤΗ
ΩΗΤΡΙΑ. ΞΙΑΙ

(b) Mur. p. 1270. 8. Muratorius vero (b) qui verſionem Epitaphio adjecit:

Romae in S. Silveſtri in Monte Coelio.

ΠΑΝΧΑΡΕΙ	*Panchari*
ΑΕΙΜΝΗ	*ſemper memo-*
CΘΗ Ι	*randae*
ΩΡCΙΩΝ ΤΗ	*Orſion*
ΜΗΤΡΙ ΑΞΙΑΙ	*Matri dignae*
	(poſuit)

(c) Corſ. de Not. Graec. p. v.

Vocem hanc ΑΕΙΜΝΗCΘΗΙ, quam pro ΑΕΙΜΝΗΣΘΙΣ, Muratorius praebuit, Cl. Corſinius (c) non improbare videtur. Ex ea namque argumentum deſumit ad alterius ἐπιγραφῆς notas explicandas. Sed alia illius vocis ΑΕΙΜΝΗΣΘΙΣ interpretatio afferri poteſt. Etenim, ſi in noſtro marmore locus eſt emendationi, unicam Ο in eadem voce ΑΕΙΜΝΗΣΘΟΙC commutarem in Ε, & ſic legerem ΑΕΙΜΝΗCΘΕΙC, part. paſſ. Aor. 1. a μνάομαι *recordor*, quae vox cum τῷ ΩΡCΙΩΝ ita conſtrui debet:

Παγχάρει	*Panchari*
Ἀείμνη-	*ſemper memor*
σθεὶς	*Orſion*
Ὠρσιὼν τῇ	*Matri dignae*
Μητρὶ ἀξίᾳ	*(poſuit)*

Hoc

Hoc equidem contextus poſtulat: Παγχάρα enim, *Panchari ſeu Panchariae*, (forte a πάγχαρις, εος,) *Orſion*, qui, *dignae matris* perpetuam ſervat memoriam, monumentum poſuit. Quod hactenus conjeci, praeclarae Inſcriptionis praeſidio confirmari poſſe arbitror, cujus exemplar & verſionem benigne transmiſit eruditus Monachus noſter Henricus Sanclementius.

Θ. K.	D. M.
ΚΗΝCωΡΙΑC	*Cenſoriae*
ΠΡΕΙΜΗC	*Primae*
CΥΜΒΙΟΥ ΑΓΑΘΗC	*Conjugis optimae*
ΜΝΗCΘЄΙC ΔΙΟΤΕΙ	*memor Dioti-*
ΜΟC ЄΠΟΙΗCЄΝ	*mus poſuit.*
ЄΖΗCΕΝ ЄΤΗ ΚΗ	*Vixit annos* XXVIII.
ΜΗΝ Η ΗΜЄΡ ΙΖ	*menſes* VIII. *dies* XVII.

Habes ΜΝΗCΘЄΙC ΔΙΟΤΕΙΜΟC. Cur ergo ΑΕΙΜΝΗΣΘЄΙC ΩΡΣΙΩΝ dicere nequaquam poſſumus?

ΜΙΙΤΡΙ. ΙΙ. pro Η ſepe in marmoribus occurrit. Inter alia unum proferam Inſcriptionis exemplum, quae extat in Hortis Jacobi Ingamii Ποιήσεως, ac bonarum artium cultoris eximii:

Θ K	D. M.
ΟΥΑΛЄΡΙΟC	*Valerius*
ΠΟΛЄΜΩΝ	*Polemon*
ΤΙΙ ΜΑΚΑΡΙΑ	*Macariae*
ЄΑΥΤΟΥ	*ſuae*
ΓΥΝΑΙΚΙ	*Uxori*
CΤΛΑΚΚΙΑ	*Stlacciae*

Extabat olim haec eadem inſcriptio, *Romae*, *ad S. Laurentium in Paliſpernam*, ut notat Gruterus, qui e Knibii ſchedis eam protulit *(a)*, ſed accuratiorem nos dedimus.

 Addam

Addam hoc loco graecam Inſcriptionem, quae exſcripta eſt in *Coemeterio S. Hermetis*, *hoc anno* MDCCLXV.

XIV.

ЄVTYXIC
CωTHPIH
CIMBIω
KAΛωCI
ΞIωMENH
ЄΠOIHCA
ZHЄNΘЄω

Εὔτυχις	Eutyches
Σωτηρίῃ	Sotiriae
Συμβίῳ	Conjugi
Καλῶς ἀ-	Bene
ξιωμένῃ	Meritae
Επόησα	Fecit
Ζῆ ἐν Θεῷ	Vive in Deo

Vox illa ZH in poſtrema linea etiam pro Ζῇ ſumi poteſt, ut fiat: *Vivit in Deo*, quemadmodum in aliis hujuſmodi Chriſtianorum Inſcriptionibus interdum legitur.

SPV-

XV.

SPVRIA.

ЄΝΘΑΔЄΚЄΙΤΑΙ
ΝЄΙΚΟΔΗΜΟϹ
ΟΑΡΧΩΝ·
ϹΙΒΟΥΡΗϹ·ΙΩΝΚΑΙ
ΠΑϹΙΦЄΙΑΗΤΟϹ
ΑΙΤΩΝ·ΑΗΜЄΡ·ΜΒ
ΘΑΡΙΑΒΛΑΒΙΝЄΩΓЄΡЄΟΥ
ΔЄΙϹΑΟΑΝΑΤΟϹ

Quemadmodum adulterinos perſaepe nummos effingunt quidam , ut curioſos atque incautos Antiquitatis cultores in fraudem impellant , atque emungant : ita etiam Inſcriptiones , tum graecas , cum latinas non raro conflant impoſtores . Hujus generis eſt poſtrema haec , quam Spuriam appellavi . Ejus νοθεία non melius dignoſci poteſt , quam ſi eamdem conferamus cum vero αὐτογράφῳ , quod eſt in hac Urbe apud Jacobum Bellotium antiquitatum amatorem , & collectorem ſolertiſſimum , ex quo accepit Cl. Joh. Chriſtophorus Amadutius ſtudioſiſſimus antiquitatum excultor , & nuper edidit in celeberrimo libro , qui inſcribitur : *Fragmenta Veſtigii veteris Romae &c.* (a) cui & ipſe adnotationes a noſtris , & ab exteris cum laude exceptas adjecit . En αὐτόγραφον cum latina laudati Authoris verſione :


(a) Tab. VI. SVBVRA. p. 31.

ЄΝΘΑ.

ЄΝΤΑ. ΔЄ. ΚЄΙΤΑΙ	*Heic jacet*
ΝЄΙΚΟΔΗΜΟC	*Nicodemus*
ΟΑΡΧωΝ	*Princeps*
CΙΒΟΥΡΗCΙωΝ. ΚΑΙ	*Sibureſiorum. Et*
ΓΑCΙ. ΦЄΙΛΗΤΟC	*Omnibus Amabilis*
ΑΙΤωΝ. Λ. ΗμЄΡ. μΒ	*Annos (natus)* XXX. *dies* XLII.
ΘΑΡΙΑΒΛΑΒΙΝЄωΤΕΡΕΟΥ	*Confide. Innocens. Juvenis. Ne*
ΔЄΙC ΑΘΑΝΑΤΟC	*mo. Immortalis*

Inſcriptionem hanc idem Cl. Amadutius non modo erudite ibidem illuſtravit, verum etiam adhuc eam illuſtraturum ſe ſperare dixit. Itaque noſtrum erit animadvertere in primis; Inſcriptionem, quae apud nos eſt, graphio potius, quam ſcalpro videri expreſſam. Deinde poſt vocem CIBOYPHC, in quarto verſu, punctum jacere, ſecus ac in αὐτόγραφῳ, deſiderari autem poſt vocem ΓΑCI in verſu proxime ſequenti, ut alia loca praeteream, in quibus vel deeſt, vel abundat; poſtremo, in voce ΦΕΙΑΗΤΟC, A pro Λ ſcriptam eſſe, quemadmodum etiam in proximo verſu; ita ut ſi A non vero Λ relinquatur, annorum numerus abſurde commutetur, & in voce NEωFEPE, literam F pro T, & in ultima voce AONATOC, O primo loco pro Θ ſculptam eſſe. Quamvis ergo ſpuriae Inſcriptionis author literas medii, vel infimi Graecorum aevi, atque etiam φάσιν imitari conatus ſit, attamen malum dolum celare non potuit, ut plane iis contingit, qui pro veris falſa venditare ſtudent.

DE VETERI
QUODAM
SOLARI HOROLOGIO
NUPER INVENTO
EPISTOLA.


pag. 385.
Fig. I.
M. Carloni inc.

REVERENDISSIMO PATRI

DOCTISSIMOQUE VIRO

D. MAURO SARTI

EX CAMALDULENSIUM FAMILIA

FR. JACQUIER S. P. D.

QUod nuper, pro tuâ ſingulari humanitate, mecum communicare volueris vetuſtum Solare Horologium, gratias tibi ago, quas certè habeo, maximas. Tibi gratulor quod praeclarum hoc monumentum a rudi atque indigeſtâ quâ obruebatur vilium ſaxorum mole, tuâ curâ liberatum ſit, & in pretioſâ quam colligis eruditae antiquitatis ſuppellectili honorificentius collocatum. Cum verò aliquam de hoc Horologio reſponſionem meam, quae tua benignitas eſt, habere deſideraveris; hanc, qualiſcumque ſit, velut memoris gratique animi officium accipias, velim; non quòd vir doctiſſimus, qui certè es, omni elegantiorum antiquitatum genere excultus, meâ tenui operâ, hâc in re, indigere videatur.

Inſtrumenti hujus Gnomonici conſtructio ea ipſa eſt procul dubio quam Vitruvius paucis verbis indigitavit lib. IX. cap. IX. *Hemicyclium excavatum ex quadrato ad ἔγκλιμα ſucciſum Beroſus Chaldaeus dicitur inveniſſe*. Et re

quidem ipſâ in quadrato cujus latus eſt ped. 1. poll. 5. pariſ. excavatum eſt Horologium, ad *enclyma*, ſeu aequatoris inclinationem ſuccisſum, illudque Hemicycli figuram imitatur. Vitruvii verba obitèr & veluti per tranſennam dicta parumfeliciter expoſuére quotquot Magnum hunc artis Architectonicae parentem interpretati ſunt, donec anno 1746. ex antiquae Villae ruderibus in Monte *Tuſculano* erutum fuit ſimile Horologium, quod in Muſaeo *Kirkeriano* aſſervatum, ingenioſâ explicatione donavit vir Clar. Boſcovikius. Paucis poſt annis inventum fuit aliud ſimilis ſtructurae Horologium in agro Romano quod reſtauratum ſuoque indice inſtructum, in Muſaeo Capitolino horas demonſtrat. Alia deinde hujuſmodi Horologia duo detecta fuere quorum unum Romae, alterum Tibure in privatis aedibus ſervantur. Tandem intèr *Herculanae* Urbis monumenta Tom. 3. deſcribitur ejuſdem conſtructionis Horologium. Neque ètiam huic noſtro diſſimile videtur aliud quod Athenis in ejuſdem Civitatis arce propriis oculis ſe obſervaſſe refert D. *le Roi* in opere: *de illuſtrioribus veteris Graeciae ruderibus*: ex quâ enumeratione intelligitur intra paucos annos publicae luci reſtituta fuiſſe ſeptem hujus ſtructurae Horologia quae ab antiquis temporibus altè ſepulta jacuerant. Quae cum ita ſint, mirum non eſt quod genuinam talis horologii ſtructuram non tradiderint Vitruvii interpretes, quibus inſtrumentum illud oculis uſurpare datum non eſt; imò ex antiquioribus interpretibus invenio aliquos qui ne ipſa quidem Vitruvii verba legere norunt accuratè, & nomen ἔγκλιμα quod unum eſt, in duo ἐν κλίμα partiti ſunt. atque ita Auctoris ſenſum omnino perturbarunt. Verùm grammaticales errores hic non moror, Gnomonicam noſtri Horologii ſtructuram uſumque explicare ſatis erit.

Itaque Horologii figuram primùm repraeſentabo, ſingulaſque illius partes ex ordine deſcribam. Ex Marmore quod *Parium* dicunt, paratum eſt hoc inſtrumentum, atque in hoc differt a caeteris quae Romae & Tibure viſuntur horologiis; ſunt enim ex vulgari lapide. Dimidiâ plus quam parte ſalvum intactumque extat no-

ſtrum

ſtrum Horologium; parte autem reliquâ tantiſper mutilata atque detruncata eſt concava ſuperficies. At quod ſuperſtes manet totam Horologii ſtructuram ita demonſtrat, ut nihil ſit quod ad integram explicationem amplius deſiderari poſſit. Deeſt index horarius; at latior hiatus in parte ſuperiori conſpicuus oſtendit indicis locum, atque prominens horologii limbus inferior ipſam ejuſdem indicis extremitatem deſignat; quae quidem duo ex principiis Gnomonices inveniri facilè poſſent, etiamſi nullis indicarentur veſtigiis. Tandem noſtrum hoc Horologium reliquis hactenùs cognitis longè ornatius eſt; non ſolum enim eſt marmoreum, ſed binae facies hinc & inde decoratae ſunt *anaglyptis*, ut vocant, *Arabicis*, quae in Leonis pedes & ungues deſinunt, totamque inſtrumenti molem baſis inſtar ſuſtinent; quanquam tamen inelegans rudiſque operis ſtilus monumenti hujus ſenectutem facilè oſtendat.

Horologii materiam formamque paucis jam attigiſſe ſatis ſit; at quod caput eſt, in explicandâ conſtructione Gnomonicâ longiùs immorabor. Ad poli altitudinem quae Romae eſt graduum circiter 42. accommodatum eſſe horologium facili obſervatione innotuit; quod ut fiat manifeſtum, in horologio cujus figuram hic exhibeo obſervari primùm debent in ſuperficie concavâ tres arcus paralleli quorum ſuperior refert *Tropicum Capricorni*, medius *Aequatorem*, tertius *Tropicum Cancri*. Pars inferior Horologii quae concavam ſuperficiem terminat, in aciem ita deſinit ut planum repraeſentet aequatoris plano parallelum. Quare aptatâ eidem plano latiori normâ quae ipſi plano arctè apprimeretur, ad planum horizontale demittebam perpendiculum. Jam notum eſt angulum aequatore & horizonte comprehenſum, eſſe altitudinem aequatoris cujus complementum eſt altitudo poli. Hic autem angulus invenitur trigonometricè, dicendo: *ut eſt Radius ad tangentem anguli quaeſiti, ita eſt altitudo perpendiculi ad baſis horizontalis latus quod perpendiculo imminet*, atque ita prodiit angulus 48° circitèr, qui eſt menſura altitudinis aequatoris

ac proinde habetur altitudo poli 42°. Hanc eandem poli altitudinem exhibent quatuor Romana Horologia quae jam memoravi; quare valdè miror quod horologium in Herculanis Monumentis deſcriptum ab eâ quae Neapoli convenit poli altitudine tantopere aberret, ut Memphis Regiae Aegypti Urbis latitudinem referre videatur. Vix tamen induci poſſum ut credam tale horologium ad Aegyptiae Urbis uſum primò accommodatum, Neapolim deinde advectum fuiſſe; pro Romanorum more qui Provinciarum ſpoliis elegantioribuſque monumentis diteſcere conſueverant. Haud facilè mihi perſuadeo inutile marmareum pondus, nullâ artis elegantiâ commendabile, è longinquo exportatum fuiſſe; quod ſi ita factum ſit, id contigiſſe dicendum eſt craſſiori ſphaericae doctrinae ignorantiâ, atque eidem tribuendum errori quo deceptus Conſul *Valerius Meſſala*, referente Plinio, horologium è Siciliâ tranſvexit & in columnâ prope *Roſtra* collocavit, qnod in eo illuſtriori loco per annos 99. perſtitit, licet ad aliam latitudinem compoſitum ad horas demonſtrandas nullius uſus fuerit. Verum quod ſpectat Herculanum horologium, illud conſtructum fuiſſe ab imperito quodam artifice, quales aetate quâlibet extitere plurimi, probabiliùs conjici poſſe videtur; cum inſculptum exhibeat ſolum aequatorem, praetermiſſis tropici, qui ad talium horologiorum conſtructionem omnino requiruntur; hos tamen ab artifice primum levi ductu delineatos, deindè eraſos deletoſque fuiſſe non repugnat, ſed minus diligenter. Similis imperitiae antiquis temporibus illuſtria non deſunt exempla; cum *Papirius Curſor*, teſte Plinio, anno Urbis conditae circiter 400. conſtruxerit Solare Horologium tantâ factum negligentiâ, ut aliud è Siciliâ exportatum, huic ſubſtitutum fuerit, haud quidem accuratiùs. Jam ad noſtrum Horologium redeo.

Horas antiquas exhibet, quae nempè ab ortu Solis ad Occaſum numerari, & in duodecim partes dividi ſolebant. Evidens autem eſt horas illas uno quolibet die aequales, pro diverſis diebus inaequales eſſe. Talis horologii

rologii notionem aliquam ſphaerae armillaris contemplatione repraeſentare, & ut ita dicam, adumbrare non abs re erit. Attollatur ſphaera ad altitudinem poli 42°; deinde aequator & tropicorum arcus, qui ſupra horizontem eminent, numerato ab horizonte diviſionum initio ad Meridianum uſque, in ſex partes aequales diviſi intelligantur. Ex ſingulis diviſionum punctis per centrum ſphaerae ductum fingatur filum quod ad delineandi horologii ſuperficiem protendatur. Patet fili veſtigiis deſignari atque projici in ipſam horologii ſuperficiem ſingula diviſionum puncta. Jam verò per tria puncta analoga in aequatore & tropicis ducantur curvarum lineamenta, haec repraeſentabunt curvas *horarias*, quae magis ac magis accuratae obtineri poſſunt, ſi praeter duos tropicos adhibeantur numero plures circuli paralleli qui in ſex partes aequales pari modo dividantur. Neque enim in hoc noſtro horologio pro circulis haberi debent curvae horariae, quae pertinent ad ſublimiorem curvarum ordinem, quas *duplicis curvaturae* appellant Geometrae. At projectis, ut jam dixi, curvarum illarum veſtigiis, habebitur horologium ſatis accuratum, in quo horas antiquas ſeu inaequales demonſtrabit index horarius, cujus extremitas ſit in ipſo aequatoris centro. Mechanicae conſtructionis hujus ratio patet ex ſphaerae elementis, cum tale horologium ipſam ſphaerae coeleſtis projectionem exhibeat. Hinc manifeſtum eſt facili machinâ deſcribi poſſe noſtrum horologium, non ſolum in hemicyclo, ſed in alia ſuperficie quâlibet, compoſito ſcilicet inſtrumento ex paucis circulis in modum ſphaerae armillaris, qui ſuo inſtruantur axe, pro variâ poli altitudine attollendo. Sed haec dicta ſint tantùm ad indicanda breviter hujus horologii principia; caeterùm id mihi incumbit potiſſimùm ut univerſam illius ſtructuram ad examen revocem, ex quâ deinde ſimpliciſſimam ſimilium horologiorum conſtructionem colligere mihi facile erit.

Et primum quidem, quo tentamine rem aggreſſus ſum exponam. Ex puncto A, (fig. 2.) ad arbitrium ſumpto

ſumpto in ſuperiori parte horizontali hujus horologii, ducta intelligatur Regula AF, quae ad punctum O protendatur donec perpendiculum ex F, cadat in Tropicum Capricorni puta G, ubi occurrit lineae meridianae horologii. Simili ratione protrahatur norma in C, donec perpendiculum occurrat aequatori in puncto meridiani E. Tandem producatur norma in D, ita ut filum perpendiculi cadat in puncto T, interſectione Tropici Cancri & Meridiani. Jam per punctum E, agatur recta EP, ita ut ſit angulus CPE = 48°, ſeu altitudo aequatoris. Item per punctum P, ducatur OPM, ita ut ſit angulus OPH = 42°, agaturque TH, & ſit angulus THP = 48°, erit angulus POH, rectus, & recta OPM, repraeſentabit axem mundi cujus centrum P; recta, EP, repraeſentabit radium aequatoris; tropicorum autem radii qui ſunt aequatori paralleli, exhibentur per rectas GR, TO, axi OM perpendiculares. Jam vero captâ accurate perpendiculi CE, menſurâ, facilè inveniebam, per vulgares trigonometriae canones, rectam EP, ſeu radium aequatoris, ob datum in triangulo rectangulo, ECP, latus CE, & angulum CPE. Praeterea anguli EPT, EPG, Tropicornm declinationi aequales dati ſunt nempe $23° \frac{1}{2}$, ac proinde in triangulo GRP, rectangulo in R, dato angulo GPR = $66° \frac{1}{2}$, datoque latere GP, per reſolutionem trianguli rectanguli FGP, invenitur latus GR, nempe radius Tropici Capricorni, & ſimili ratione invenitur alterius Tropici radius TO. Hoc modo inveniebam radium aequatoris EP = 7 poll. radium Tropici GR = $5^{poll.}\ 9^{lin.}\ \frac{1}{2}$, & radium TO = $9^{poll.}\ 3^{lin.}$. Quibus inventis parabam fila, quae praedictas radiorum longitudines aequarent, & ad horologium accedens, filorum ſeu radiorum extremirates in ſuis reſpectivè centris firmitèr detinebam, ita ut fila in ſuorum circulorum planis manerent, atque hoc modo explorabam an extremitas altera ſuos circulos deſcriberet. At expertus ſum filorum extremitates a circulorum ſuo-




Fig. II.

ſuorum peripheriis aberrare. Quia tamen adhibita methodus ad ſeveritatem Geometricam mihi videbatur omninò compoſita, errorem in menſuras rejiciebam, & indicis horarii poſitionem in plano, AH, non jacere, ſed altiorem eſſe ſuſpicabar; quod deinde iteratis calculis hoc modo demonſtravi.

Sit, AH, communis interſectio plani horizontalis horologii cum plano meridiani, ſitque CE verticalis ducta ex horizonte ad aequatorem. Similitèr agatur DT, ad tropicum aeſtivum, ſintque EP, TH interſectiones aequatoris & tropici Cancri cum plano meridiani, erunt anguli CPE, DHT 48°, & CEP, DTP 42° hic Romae. ſumptis diligenter menſuris, notabam AF = $2^{poll.}\ 11^{lin.}$, AC = $4^{poll.}$ AD = $6^{poll.}\ 3^{lin.}$, CE = $4^{poll.}\ 5^{lin.}$ DT = $7^{poll.}\ 10^{lin.}$. CD = $2^{poll.}\ 3^{lin.}$, DH = $7^{poll.}\ 1^{lin.}$, TH = $10^{poll.}\ 6^{lin.}$ ex quibus per ſinuum, & tangentium tabulas prodiit PE = $7^{poll.} = 84^{lin.}$, DH = $7^{poll.}\ 1^{lin.} = 85^{lin.}$ TH = $10^{poll.}\ 6^{lin.} = 126^{lin.}$ PH = $64^{lin.}$ HO = $43^{lin.}$, ſed OH : TO = Tang. 42° : Tang. TPO; undè invenitur angulus TPO = $60^\circ\ 5'$, quem eſſe oporteret $66^\circ\ 30'$ ex ſphaerae elementis. Quare evidens eſt attollendum eſſe centrum aequatoris P, quod eſt ſtili extremitas, ſuprà horizontalem PH, puta in p, donec angulus pTh = $66^\circ\ 30'$. Quod ut obtineatur, transferamus horizontalem CH, in aliam ſuperiorem ch, quae tranſeat per punctum quaeſitum, p, producanturque rectae ſingulae inferiores ad horizontalem, ch, & agatur, po, normalis ad Th; ob triangulorum oph, OPH, aequalitatem (ex elem. geom.) erit ho = HO quae invenitur = $43^{lin.}$ itemque Hh = Pp & Dd = Cc. Jam verò, ex conditione horologii, & ex ſphaerae elementis, oportet ut ſit ho ad To, ut tangens anguli 42° ad tangentem anguli $66^\circ\ 30'$. Unde invenitur To = 110 lin. ideoque Th = $153^{lin.}$, hH = $24^{lin.}$, ſed eſt TH ($126^{lin.}$) : Hh ($24^{lin.}$) = TD ($94^{lin.}$): Dd, vel Cc, ideoque Cc = $18^{lin.} = 1^{poll.}\ 6^{lin.}$

Quare

Quare ſumatur $Cc = 18^{lin.}$, ac per punctum c, agatur horizontalis, cph, producaturque Ep in p, erit, p, centrum aequatoris, ſeu indicis horarii extremitas. Et re quidem ipsâ, ſi index horarius ita locatus fuerit, ut ſupra planum horizontale horologii attollatur totâ altitudine $Cc = 18^{lin.}$, & terminetur in puncto, p, horas demonſtrat horologium ſatis accuratè.

Hinc patet quantâ in obſervando ſubtilitate opus ſit, ut ſingulae noſtri horologii partes accuratè definiantur, & quam facilè errari poſſit in determinandâ poli altitudine ex variis horologii conditionibus adhibendis. Neque tamen hâc in re peccatum fuiſſe ſuſpicor a viris doctis, qui in ſimilibus horologiis aliam quam oportebat invenerunt poli altitudinem; in tantis enim viris majorem non audeo deſiderare diligentiam.

Ex hactenus demonſtratis ſtatim patet conſtruendi hujus horologii ratio. Puncta G, E, T, exhibent veſtigia lineae Meridianae; jam verò ſumatur axis metallicus, opr, qui ſuprà horizontalem, ch, ad poli altitudinem attollatur & in hoc ſitu firmetur. Deindè puncto, p, alligata ſint fila PG, PE, PT quae ſint in plano Meridiani, fiantque anguli GPE, EPT $23^{\circ}\frac{1}{2}$. Tandem circà axem immotum convertatur planum GPT, punctum, E, percurret æquatorem, & puncta G, T, deſcribent Tropicorum arcus. Jam æquatoris ſemicircumferentia dividatur in partes duodecim aequales, itemque dividatur alterutrius Tropici arcus, & per ſingula diviſionum puncta agantur curvae horariae ad alterum Tropicum, habebitur hoc noſtrum horologium; quod ex demonſtratis evidens eſt. At conſtructio magis univerſalis magiſque accurata obtineri poteſt in hunc modum. Paretur lamina GPT, & ex puncto, p, aequatoris centro radioque, PE, deſcribatur arcus 47°, aequalis nempe Tropicorum diſtantiae, atque in eâdem laminâ notentur quoque, ut fieri ſolet, ſingulorum ſignorum declinationes. Ex puncto, p, pendeat filum & lamina circà immotum axem, or, circumducatur, filoque educto ex, p, per

per ſingulos in limbo notatos ſignorum radios ſecundum fili ductum in ſuperficie horologii fiat excavatio, & diviſio fiat ut ante, ducanturque curvae horariae, quae prodibunt accuratiores pro majori radiorum numero. Expeditiſſimum autem inſtrumentum illud ad quamlibet poli altitudinem facilè accommodabitur, ſi arcus ſignorum Zodiaci ad quadrantem circuli producatur; ità enim attolli poterit axis, or, donec filum pendens ex, p, radat in arcu circuli altitudinem poli datam.

Haec quidem facillima eſt & ex primis gnomonicae principiis derivata conſtructio, quam ſine ullo labore tractare poterunt viri etiam rerum gnomonicarum imperiti. Verùm apud antiquos uſitatam fuiſſe aliam horologiorum rationem colligitur ex Vitruvio cap. 8. *de horologiorum rationibus & umbris gnomonum*: in quibuſcumque locis horologia erunt deſcribenda, eo loci in gnomonis partibus ſumendam eſſe præſcribit æquinoctialem umbram, itemque aeſtivam & Hybernam. Haec methodus ad Horologium quod a Beroſo inventum refert, transferri etiam poſſet; Cum enim extremitas ſtili ſit in centro aequatoris, datâ aequinoctiali umbrâ, habebitur radius aequatoris. Itèm umbris Solſtitialibus datis, dabuntur quoque Tropicorum radii. Porrò datâ altitudine ſolis facile invenitur projectio umbrae dicendo: *Tangens attitudinis Solis eſt ad ſinum totum, ut eſt ſtili altitudo ad diſtantiam umbrae horizontalem*. Item datâ altitudine poli invenitur altitudo Solis ad tempus quodlibet propoſitum; ſed hos calculos qui notiſſimi ſunt explicare fuſiuſque deſcribere ſuperfluum eſt; conſtructionem Vitruvianam ad noſtrum horologium paucis verbis traducere ſatis erit. Itaque in hujus horologii ſuperficie erigatur ſtilus ad horizontem perpendicularis, cujus extremitas ſit centrum aequatoris, inveniatur umbra in plano horizontali, habebitur illius projectio in ſuperficie concavâ ſeu in hemicyclo. Rem tentare volui in noſtro horologio, an ſcilicet umbrae aequinoctialis diſtantia conveniret cum iis quae ſcripſit Vitruvius: *Sol aequinoctiali tempore ariete*

 librâ-

libraque verſando quas ex gnomone partes habet novem, eas umbrae facit octo in declinatione coeli quae eſt hic Romae. Quod ut experirer, ex centro aequatoris demittebam perpendiculum ad ſuperficiem concavam horologii; haec autem perpendicularis producta intelligatur uſque ad planum horizontale cui etiam occurrat radius aequinoctialis. Jam verò in triangulo rectangnlo datà altitudine perpendiculari datoque angulo 42°. perpendiculari & radio aequinoctiali comprehenſo, invenitur diſtantia umbrae horizontalis quamproximè aequalis partibus octo quales novem continet ſtili altitudo perpendicularis. Pari ratione inveniri poſſet Trigonometricè umbra Solſtitialis vel etiam per conſtructionem *Analemmatis* Vitruviani; correcta tamen Tropicorum diſtantiâ quae juſto major a Vitruvio adhibetur. Inventâ autem horizontali umbrae diſtantiâ, invenitur quoque illius projectio in Superficie concavâ, ductâ ſcilicet rectâ a centro aequatoris ad extremitatem umbrae horizontalis; punctum enim in quo recta illa ſuperficiei concavae occurrit, erit umbrae veſtigium in eâdem ſuperficie. Quarè datis aequinoctiali Solſtitialibuſque umbris, dati ſunt aequatoris tropicorumque radii, ac proinde conſtrui poteſt horologium in hemicyclo vel in aliâ ſuperficie concavâ. Sed haec pauca obſervaſſe ſatis ſit ex quibus Vitruviana horologiorum conſtructio intelligi poteſt. Coeterum hic monendum ſupereſt irrito conatu a nonnullis inveſtigari ex umbris Solſtitialibus in ſimilibus horologiis Tropicorum diſtantiam, ex quâ deindè obliquitatis Eclipticae decrementum, & ex ipſo decremento horologii aetatem conjectari præſumunt. Et quidem in re tam ſubtili nullius utilitatis eſſe poſſunt minima inſrumenta, rudi negligentique manu ut plurimum elaborata.

Haec ſunt, vir doctiſſime, quae de hoc horologio ad te perſcriberem. Vehementer exopto ut haec oblata occaſio veterem noſtram conſuetudinem redintegrare poſſit atque confirmare; quod quidem jucundiſſimum mihi futurum eſſe perſuaſum habeas velim.

INDEX

INDEX
INSCRIPTIONUM INEDITARUM

Quae in hoc Opere proferuntur.

§. I. Votiva.

AEſculapio Philippopolitano pag. 12.
D. Navarch. ZE 181.
Genio Ti. Caeſaris 186.
Jovi Cuſtodi 185.
O. M. Purpurioni ibid.
Neptuno Adjutori 183.
Sei. Deus 184.
Sei. Dea ibid.
Silvanus 56. 184.
Venus Victrix 107.
Θεω Επηκοω Βροντωντι 176.

§. II. Sacerdotes &c.

Archibuculus Dei Liberi 132.
Hierophanta Hecate ibid.
Iſidis 236.
Mag. P. S. Mithrae 132.
Mater Sacrorum 147.
Pater 236.
Pontifex Dei Solis 236.
Major 132.
Propheta Iſidis 236.
Salius 134.
Tauroboliatus D. M. 132.
VI. VIR. Aug. 107.
VII. VIR. Epulonum 188.
XV. VIR. S. F. 132.

§. III. Consularia.

L. Arruntio M. Aemilio Coſ. 185.
L. Calpurnio Piſone M. Craſſo Frugi Coſ. 186.
C. Minicio Fundano C. Vetennio Severo Coſ. 231.
Domitiano Aug. F. C. Valerio Feſto Coſ. 231.
Trajano Aug. VI. T. Sextio Coſ. 56.
P. Aelio Hadriano M. Trebatio Priſc... Coſ. 231.
P. Calviſio Tullio L. Annio Largo Coſ. 231.
multorum opinio fuit, Caeſaris, ut ajebam, autoritate innixa: gravis ſane, & quae me commoveret autoritas, ſi id, quod iſti contendunt, Caeſar voluiſſet. Verum enim vero, aut ego fallor, aut contrarium omnino Caeſar voluit. Id ut efficiam non eorum ego hic ſententiam amplectar, qui tabulas illas Helvetiorum, graecis quidem literis Celticâ autem linguâ conſcriptas volunt, quos docte ſolideque confutavit Franciſcus Hotomannus [a] pluribus oſtendens neque apud Caeſarem, neque apud alios probatos latinae linguae Scriptores locum eſſe ullum in quo, *graecis literis conſcribere uſurpatum ſit pro literarum formis exarare*. Aſſentior igitur tabulas illas tum graecis literis, tum graeco etiam ſermone conſcriptas: at idem nego adverſarios efficere ex his aliquid poſſe. Sic enim ſtatuo Caeſarem, qui nec minima quaeque, nec vulgaria ſcribendo perſequitur, novum aliquod, atque inſolens commemorare voluiſſe, cum linguam nominatim expreſſit, qua tabulae illae conſcriptae erant. Non tanti fuiſſet profecto, ut id in Commentarios referret, ſi graecas vulgo literas Helvetii uſurpaſſent; ignorare id nec Romani, nec Caeſar poterat, quibus jamdiu, & Gallia, & Helvetia cognita. At cum retulit novum, atque inſolens Caeſari viſum id fuit.

(a) Hoto. Com. in B. Gal. lib. I. c. VI.

fuit. Deſinant igitur Caeſaris autoritatem nobis objicere; id unum efficere eâ poterunt, fuiſſe apud Helvetios, qui graecis diſciplinis exculti, graece, ubi opus foret, ſcribere poſſent, & ſcirent: id ultro damus, atque illud Hotomanno non aegre aſſentimur, nonnullos fuiſſe Caeſaris aetate inter Helvetios ſive viros nobiles, ſive Sacerdotes, qui graecam a pueris linguam Maſſiliae fortaſſe, diſcerent; eâdemque majores, atque illuſtriores res, quaeque nota minus vellent ad ſuum privatum uſum conſcriberent. At graecam linguam vulgo apud Helvetios uſurpatam, ut quae graece ſcripta non ſint, ea Helvetiis tribui nequeant, id enim vero nullo ſatis probabili argumento demonſtratum eſt.

IV. Quid quod ne ipſi quidem Gallo-Celtae, quorum per ea tempora Helvetii pars fuerunt, graece vulgo, vel loquebantur, vel ſcribebant? Non uno id veterum teſtimonio effici poſſe arbitror. Ac primum id ſatis oſtendit Caeſar, quum ad Q. Ciceronem ſcripturus graecas dedit literas, ne delatâ ad hoſtes epiſtolâ quid ipſe moliretur agnoſcerent (o). *Tum cuidam ex equitibus Gallis perſuadet magnis praemiis, uti ad Ciceronem epiſtolam deferant, hanc graecis conſcriptam literis mittit, ne interceptâ epi-*

(o) B. G. V. 19.

ſtolâ

ſtolâ noſtra ab hoſtibus conſilia agnoſcantur: inutilis haec cautio, ſi graeca apud Gallos lingua uſurpata. At ne hoc ad eos pertinere quis fortaſſe dicat, qui a *Provinciâ*, & Graecorum coloniis longius aberant; in Nerviis enim agebat Caeſar, quum literas illas dedit; illud quaero, cur Caeſar graecae linguae ſcientiſſimus Gallos per interpretes alloqueretur, ſi vulgata apud eos Graecorum lingua? Atqui per interpretes Caeſarem cum iis collócutum fuiſſe ipſe teſtatur [a]: *Itaque priuſquam quidquam conaretur Divitiacum ad ſe vocari jubet*, & QUOTIDIANIS INTERPRETIBUS *remotis per C. Valerium Procillum principem Galliae Provinciae cum eo colloquitur*. Neque dicat Cluverius [b] *quamvis hodie etiam latina lingua per omnem fere Europam, atque in quovis vico ſciatur; interim tamen principes viros gentiumque reges haud raro reperiri, qui eâdem rudes, & ignari ſint*; non enim hic contendimus graecam linguam Gallis prorſus ignotam; nullos fuiſſe, qui graece loqui ſcirent; ſed vulgarem, & communem gentis linguam, graecam fuiſſe negamus. *Quotidianos porro interpretes* dum Caeſar commemorat, ſatis aperte id, quod volumus oſtendit: non enim *quotidiani* adhibentur *interpretes*, ubi communis eſt, & vulgaris alicujus linguae

(a) B.G.I.12.

(b) Germ. Antiq. lib.I. c. III. pag. 31.

guae uſus. Nec contemnendum Luciani teſtimonium apud quem [a] Mercurius, ſilentium Jovis in concilio quum indicere juberetur, ſic ſe apud Jovem excuſat. *Non omnes Jupiter graece intelligunt: ego autem non ita multarum linguarum peritus ſum, ut concionari poſſim, quae etiam Scythae, Perſae, Thraces,* CELTAE *intelligant: melius igitur puto fuerit manu ſilentium poſcere*: ubi vides *Celtas* eos inter referri, qui graece neſciebant. Huic locus alter addendus, ubi Gallo cuidam laudi tribuit [b], quod graece loqueretur: *Sed Gallus aliquis adſtans non ineruditus etiam noſtris literis, quod declaravit accurate loquens graece, popularium ſuorum more, ut arbitror Philoſophus*: ex quibus ſane tanto poſt Caeſaris in Galliis pugnas intervallo graecam linguam apud Gallos vulgarem non fuiſſe manifeſto diſcimus.

(a) Jupit. Trag. n. 13.

(b) Herc. T. III. pag. 84.

V. Sed video quid opponi his poſſit, ac primum *Chyndonactis* Gallorum Sacerdotum principis tumulus Divionenſi in agro ſaeculo XVI. labente repertus, cui graeca haec epigraphe inſculpta [c]:

(c) Montf. Pal. Graec. pag. X. Antiq. Tom. II. pag. 432.

„ Μίθρης ἐν ὀργαδι κωμα τοσωμα καλυπτει

„ Χυνδόνακτος ἱερεων αρχηγȣ

„ Δυσεβης ἀπεχȣ, λυσιοι κονιν δρωσι

Mithrae in luco hic tumulus tegit corpus.

B *Chyndo-*

Chyndonactis Sacerdotum principis
Impie diſcede, manes cinerem tuentur.

2. Caeſaris ipſius autoritas, qui publicas privataſque rationes graecis apud Gallos literis ſcriptas autor eſt: *neque fas eſſe exiſtimant ea literis mandare, quum in reliquis ferme rebus publicis, privatiſque rationibus graecis literis utantur* [a]. 3. Strabonis teſtimonium, qui Maſſiliam Barbaris loco ludi literarii patefactam tantum literarum graecarum apud Gallos ſtudium excitaſſe ait, ut contractuum quoque formulas graece ſcriberent [b]. At haec poſtrema de ſua aetate Strabonem locutum certiſſimum eſt, quamvis id neget Caſaubonus [c]. Sic enim Strabo ὥσθ᾽ ἡ πολις ΜΙΚΡΩ μεν ΠΡΟΤΕΡΟΝ τοις βαρβαροις ἀνειτο παιδευτηριον &c. Adde quod de Gallia Narbonenſi, quae *Provincia* appellabatur, in qua Maſſilia fuit, intelligi commode poſſunt. Superiora vero Caeſaris, ſi quis non ad Gallos univerſos, ſed ad Druidas, quorum eo loco Caeſar res pertractat, pertinere contenderit, is non improbabili reſponſione ſatisfecerit; quin ſi idem Divitiacus ille, quem Cicero Druidarum doctiſſimum appellat [d], & quo cum Caeſar collocutus eſt, ne Druidas quidem omnes graecis literis excultos fuiſſe manifeſtum eſt, ut ab aliis obſervatum

jam

(a) B. G. VI. 5.
(b) Strab. l. IV. pag. 181.
(c) In not. ad Strab. l. c.
(d) De Div. 1.


jam fuit. Quamquam ſi libere, quod ſentio proferre licet, malim cum Hotomanno [a] vocem illam *Graecis* a contextu removere, *quâ remotâ*, inquit vir doctus, *idonea, atque integra huic loco ſententia conſtabit hoc modo: in ſola Druidum diſciplina literis, & ſcriptione non utuntur, caeteris in rebus omnibus utuntur: itaque mihi perſuaſum eſt vocem* Graecis *adulterinam eſſe*. Suſpectam Scaligero fuiſſe, ex nitidiſſimâ ejuſdem editione, in qua vox illa uncis includitur, non temere auguror. At legitima ut ſit, atque ad Gallos omnes referre eamdem oporteat, nihil tamen conturbor; nam quum ſcribat Caeſar *in reliquis fere rebus* graecas a Gallis literas uſurpatas, ſatis aperte oſtendit, multa fuiſſe, in quibus propriis uterentur literis. Horum in numerum pecuniam ſi referam, contrarium nemo evincet; atque illud, quod initio dicebam ſatis conſtabit, peccare eos, qui veterum Gallorum Numos, ſi latinis elementis inſcripti ſint, adulterinos cenſent. De *Chyndonactis* elogio, non eſt cur ſollicitus ſim: privati hominis & Druidae inſcriptio, eorum quae diſputo autoritatem nihil imminuit. At non deſunt, qui *Chyndonactem*, nec Gallum, nec Druidam fuiſſe putent; ſed graecum hominem Aureliano Aug. So-

(a) In C. IV. l. VI. B. G.

lis fortaſſe in Galliis Sacerdotem, uti Baudelotio viſum eſt [a]: gravior etiam Montfalconii cenſura, qui epigramma illud ab ipſo Guenebaldo [b], cujus in agro urna illa reperta eſt, veteri ſaxo inſcriptum cenſet; rectene, an ſecus alii videant.

(a) Util. de Vojag. T. II. p. 100.
(b) ll. cc.

VI. Sed nae ego imprudens, qui *Beterrarum*,



Bituii,

Bituii, *Bituci*, & *Balani* numiſmata graece inſc pta non animadverterim, quibus graecam apud G los linguam ipſis in Numis uſurpatam liquido conſt Factum ſane imprudenter, ſi Gallo-Celtica num mata haec ſint. At ΒΗΤΗΡΡΑτων Numos ad Gal pertinere negat Harduinus, atque eos vel *Betarrl ni* Phoeniciae urbi, vel ignoto cuidam Syriae op do tribuit [a]: negant Froelichius, aliique docti v ri [b], & vel Betarrhoni Phoenicum cum Harduin vel Beterris Palaeſtinis vindicant. Aſſentiar tam Holſtenio, Spanhemio, Liebeo, & *Beterris* Septim norum, quas *Blyteras* Plinius [c] appellat, Num illos non invitus cum iis [d] tribuam; praeſertin cum in Galliis effodi ſoleant. & ipſa Numoru fabrica Graecos non eſſe oſtendat. At non idcir causâ cadam: non enim de Gallia Narbonenſi h diſputamus, cujus incolas a Maſſilienſibus grae loqui paulatim edoctos fuiſſe, nec inficiari audeo nec miror, cum apud Juſtinum legam Celticu virus Maſſilienſibus munditiis adeo depulſum, v in Graeciam Gallia translata videretur [e]: *Condit igitur Maſſilia eſt prope oſtia Rhodani amnis in re moto ſinu, veluti in angulo maris. Sed Ligures incre mentis invidentes Graecos aſſiduis bellis fatigabant*

Qu

Qui pericula propulſando in tantum enituerunt, ut victis hoſtibus in captivis agris colonias conſtituerent. Ab his, Maſſilienſibus, *Galli, & uſum vitae cultioris depoſita barbarie, & agrorum cultus, & urbes moenibus cingere didicerunt; tunc, & legibus non armis vivere, & vitem putare, tunc olivam ſerere conſueverunt; adeoque magnus, & hominibus, & rebus impoſitus eſt nitor, ut non Graecia in Galliam, ſed Gallia in Graeciam translata, videretur*. Quae ad eam Galliam, quae Narbonenſis deinde dicta eſt, pertinere viri docti conſentiunt: neque enim hujuſmodi erat Gallia reliqua, Caeſaris aetate, de qua diſputamus.

VII. Paullum me commoverent *Bituii*, & *Bituci* regum numiſmata, ſi haec, quemadmodum Begerus fecit [a], Sphanhemio non improbante [b], ad Arvernorum illum regem Luerii filium referenda forent, qui Straboni [c] βιττος, Athenaeo [d] βιττύιτος, Livio [e], aliiſque Latinorum Bituitus dicitur, *Betultus* tamen dicendus fuit, ex hoc Faſtorum Triumphalium fragmento, a Grutero, Pighio, aliiſque [f] evulgato, quod hìc iterum ex αυτογραφῳ Muſei Kirkeriani, quo tandem commigravit, diligentiſſime deſcriptum tibi propono:

(a) Beg. Th. Br. T. III. p. 6.
(b) Spanh. Diſ. I. pag. 52. Diſ. VIII. p. 557.
(c) Strab. l. IV. pag. 191.
(d) Ath. lib. IV. pag. 152.
(e) Liv. epit. lib. LXI.
(f) Grut. pag. 298. 3. Pig. An. Tom. III. p. 56.

SAL-

SALLVVEISQ. (α) .....

C. SEXTIVS. C. F. C. N. CALVIN PROCO.... (a. 630.

DE LIGVRIB. VOCONTIEIS (β). SALLVVEISQ..

L. AVRELIVS. L. F. L. N. ORESTES PRO AN. DC (631.

COS. EX SARDINIA. VI. IDVS DEC....

Q. CAECILIVS. Q. F. Q. N. METELLVS A. DCX... (632.

BALIARIC. PROCOS. DE BALIARIB. PR.....

Q. FABIVS. Q. AEMILIANI. F. Q. N. A. DC.... (633.

MAXIMVS. PROCOS (*). DE ALLOBROG.....

ET. REGE ARVERNORVM. BETVLTO. X. K....

CN.

(α) *Salluveis*. Salluvii, Ligurum Trans Alpes celeberrimi teſte Plinio (a). Eos Σαλικας appellat Ptolemaeus: eorum Urbes ex eodem Ταρουσκών, Γλανον, Αρελᾶτον κολώνια, ὕδατα Σεξτια κολ. Ερναγινον.

(a) Plin. H. N. III. 5.

(β) *Vocontieis*. Vocontii, alia Ligurum Trans Alpes natio, quam Orientalem Delphinatus partem tenuiſſe putat Harduinus. Vocontiorum Urbes, *Vaſio*, Ptolemaeo όυασιων, & *Lucus Auguſti*, memorantur a Plinio (b).

(b) Id. l. c. c. 4.

(*) Livii epitome: *Qu. Fabius Maximus Conſul Paulli Nepos adverſus Allobroges, & Bituitum Arvernorum Regem feliciter pugnavit*: lege ex hoc lapide, *Proconſul*, & *Betultum*.

CN. DOMITIVS. CN. F. CN. N. AHENOBARB A... (633.

PROCOS. DE GALLEIS. ARVERNEIS. XVI. K....

L. CAECILIVS L. F. Q. N. METELLVS ANN. DCX..(635.

DELMATIC. PROCOS. DE. DELMATEIS. III. N...

Q. MARCIVS. Q. F. Q. N. REX. PROCOS AN. DCX.(636.

DE LIGVRIBVS. STOENEIS (γ). III. NON. DE....

M. AEMILIVS. M. F. L. N. SCAVRVS COS (638.

DE GALLEIS. KARNEIS (δ). V......

M. CAECILIVS. Q. F. Q. N. MET..... (640.

COS. EX. SARDINIA......


Sed

(γ) *Stoenis*: Ligures Stoeni ubi fuerint incertum: inter Alpium Grajarum accolas collocat Pighius (*a*); maritimam gentem fuiſſe putat Cellarius (*b*). An iidem ſint, quos Strabo (*c*) ϛονος vocat, vehementer dubito. *Stonos* Euganeorum caput memorat Plinius (*d*): at nihil ad Stoenos a Marcio victos pertinere puto, contra quam ſuſpicatur Maſſejus (*e*). Interim Livii epitomen ex hoc lapide corrige, & pro *Stonos*, leges *Stoenos*.

(δ) *Karneis*: Gallos Karnos trans Padum ſupra Venetos collocat Strabo: eorum oppida mediterranea ex Ptolemaeo Forum Julium, Concordia, & Aquileja (*f*) τῶν δὲ Καρνῶν Μεσογειοι Φορος Ιουλιος κολονια, Κονκορδια κολ. Ακουληια κολ.

(*a*) Pigh. Annal. T. III. p. 93.
(*b*) Cella. To. I. l. II. C. VII. §. 24.
(*c*) Strabo lib. IV. p. 204,
(*d*) Plin. li. III. c. 20.
(*e*) Maſſ. Ver. Il. T. I. l. V. p. 196.
(*f*) Ptol. l. III. c. I.

Sed ad Numos redeo : negant Oudinetus, de B
ze, & Bimardius [a] ad Arvernos Reges eos qui
quam pertinere; & *Bituii* quidem numiſmata *Bitı*
Gogodiatori illius filio, qui Pompej aetate apud *G*
latas-Trocmios regnabat, tribuenda eſſe docent: n
temere, quum hic alius extet hujuſce Bituii Num



patris nomen Bimardio interprete praeferens, leg
enim ΒΙΤΟΥΙΟς ΓΟΓΟδιατορȣ ΒΑCΙΛεος. *Bituci* vero Nu
mos *Adiatorigis* filio tribuunt, quem Δυτευτον voca
Strabo [b]; quique ab Auguſto Comanae Urbis pon
tiſex, & princeps creatus fuit: Comanae porro pon
tifices, & principes *Regis* ſe titulo ornare conſue
viſſe aliorum exemplo vulgatum. Sic idem Strabo [c]
Lycomedem, ſeu *Nicomedem*, quem Julius Caeſa
Comanae principem conſtituerat *Regem* appellat
Vide haec pluribus differentem Bimardium. Illud ta-
men hìc ab eodem obſervatum non praetermittam:
horum numiſmatum nullum unquam in Galliis re-

C pertum,

pertum, omnia ex Oriente aſportata, quod quanti ſit, opinor, intelligis.


VIII. *Bituii*, *&* *Bituci* Numis a Gallia Tranſalpina abire procul juſſis, reliquum eſt, ut de Balani numiſmatibus a Froelichio evulgatis diſſeram. Balani vetuſtiſſimi Gallorum Regis meminit Livius [a] Cos. Q. Marcio Philippo, & Gn. Servilio Caepione: *dum bellum in Macedonia geritur legati trans-Alpini a regulo Gallorum (BALANI ipſius tradunt nomen, gentis ex qua fuerit non tradunt) Romam venere pollicentes ad Macedonicum bellum auxilia gratiae actae a Senatu muneraque miſſa &c.* Huic Balano Numos hoſce tribuit Froelichius [b], eumdemque non procul a Maſſiliâ regnaſſe arbitratur: *Forſan etiam Balanus haud procul Maſſiliâ Urbe, pervetuſtâ illâ Phocenſium coloniâ, rerum potitus eſt*. At haec dum ſtatuit, nihil jam mihi, qui graecae urbis vicinitate, & Graecorum commercio Gallos conterminos graecam linguam edoceri, eàdemque publice privatimque uti tandem potuiſſe non diffiteor; nihil inquam mihi ex his Numis pertimeſcendum, tute ipſe intelligis opinor. Quid ſi Balanus hic diu poſt Caeſaris, atque *Orgetorigis* aetatem vixerit? Non enim mirum duos fuiſſe ejuſdem nominis reges longo inter ſe

(a) Liv. lib. XLIV. n. 14.

(b) Froel. Acceſs. ad Num. Anecd. p. 85.

ſe intervallo diſſociatos, nihil frequentius regnorum hiſtoriae oſtendunt.

IX. At ego nullus dubito, quin in Aſia requirendus *Balanus* hic nobis ſit. Perſuadet id primum ipſa Numi Fabrica, quae Froelichio antequam de *Balano* tranſalpino cogitaret, Meſopotamica non Gallica viſa eſt [a]; tum nimirum, cum hunc illuſtraret Numum, in quo detritâ priori literâ, pro ΒΑΛΑΝΟC, legebatur ΑΛΑΝΟC. Ipſa deinde regis effigies id luculentius confirmat:



imberbe enim, & crinibus attonſis caput, comatum capillatumque regem, cujuſmodi Tranſalpinos Gallos fuiſſe nemo neſcit, minime decet. Hoc grave adeo Sperlingio viſum, ut hac potiſſimum de cauſâ negare auſus ſit Numos ullos a Gallis percuſſos ante Romana arma in Galliam inlata. *Nullum ex iis*, inquit [b], *quos protulit Buterovius obſervavi, qui non Romanis debeatur, illorumque coloniis in Galliam deductis, aut illorum autoritati, jus monetae Gallis quae conceſſit. Sub illorum auſpiciis Eburovices, Aulerci, Dornacus... memoriae tamquam numinum gentis nummos ſuos edide-*

(a) Id. Num. Anecd. p. 127.

(b) Sperl. de Num. non Cuſis. c. 37.

runt, & dicarunt. Ab illis temporibus, quando Galli Romanam majeſtatem conſervare coeperunt hi nummi deducendi ſunt. Ipſa ſigura, & pondus nummorum iſtorum ſimile Romanis hoc evincunt: nec video qua ratione ad anteriora tempora trahi poſſint: imo ſatis pelluceat ante Romana arma Gallis proprios Numos cuſos nullibi fuiſſe. Ubi enim caeſaries illa, illa barba immiſſa, quam omnes hiſtoriae Gallis antiquis tribuunt? In nullo nummorum iſtorum apud Bouteroüe haec ſigna ſpectantur, niſi in longe pauciſſimis: ſed Deorum, Dearumque Romanarum effigies, hominum capita more Romanorum tonſa, genae raſae, & imberbes, quae certo certius indicant tunc cum hos nummos cuderent Galli, eos in Romanos mores, & habitus tranſiſſe. Haec ille, quae non omnia facile amplector, duo tamen ſunt, quibus non invitus ſubſcribam, primum imberbia, & tonſa capita veterum Gallorum, antequam ad Romanos mores declinarent, propria nequaquam eſſe: alterum ſculptas hiſce in Numis Deorum effigies, Romanas eſſe, non Celticas; quae duo, tum eorum Numorum, quos Bouterovius vulgavit vetuſtatem infirmant; tum hunc potiſſimum *Balani* regis nomine inſcriptum tranſalpinis Gallis eripiendum monent, cum in eo imberbe


be attonſumque caput inſculptum ſit alterâ in p
te, in alterâ vero *Taedifera Ceres* exhibeatur. G
lis enim anno V. C. 58$\frac{4}{5}$ quo Coſs. fuere *Phil
pus*, & *Caepio*, quinquaginta ferme annis antequ
Romana arma in Gallias intrarent; haec enim,
noſti, primus in eas intulit M. Fulvius Flaccus
qui anno V. C. 630. de Liguribus Vocontiis, S
luviiſque triumphavit, una cum C. Sextio Calvir
cujus meminit Kirkerianus lapis, quem ſupra
ſcripſi; Gallis inquam circa annum 584. Cerer
notam fuiſſe nulla ſatis certa docent monumen
ut Banierius[b] animadvertit: ſed ut fuerit cog
ta, illius in Numis effigiem caelaſſe Gallos nul
tenus probabunt, cum Deorum ſimulacra, ſtatu
imagines non multo ante Caeſaris bella apud G
los uſurpari caepta ſint, atque illud vere ſcrip
Anonymus, qui de Gallorum Religione duobus v
luminibus Gallice diſſeruit, accuratius utinam,
κριτικοτερως, illud inquam vere ſcripſit[4] Celtis ſ
lemne fuiſſe, ut Templa, Statuas, Deorum pict
im

(4) „ La Religion des Gaulois dans ſon origine, & preſq
„ juſq'a Caeſar faiſoit ſon capital de n'avoir, ni temples,
„ ſtatues, ni peinctures des Dieux . . . tous ſes Dieux étoie
„ ou des arbres, ou des bois, ou des marais „ De la Reli
de Gaul. T. I. lib. I. c. III. p. 18.

imagines, pene uſque ad Caeſarem nullas haberent; ſed Arbores, Luci, Lacus pro Deorum ſtatuis, templis, imaginibus haberentur. *Celtae colunt Jovem*, inquit Maximus Tirius[a] *Celticum vero Jovis ſignum altiſſima quercus*.

(a) Max. Tir. Or 38.

X. Quamquam ſatis vereor, ut eo in Numo Ceres ſculpta ſit, quemadmodum ſibi Froelichius perſuaſit; attentius enim *typum* Numorum illorum conſideranti virilem vultum, & effigiem videre illic mihi videor; neque aliter ſentiet, opinor, qui pileatam, & alte ſuccintam effigiem, cum in ſuperioribus *Balani* Numis, tum in hiſce aliis aſpexerit.



Hinc non levis orta mihi ſuſpicio Λαμπαδοδρομον illic aliquem exhiberi ex iis, qui lampade accenſâ in Λαμπαδηδρομιαις currere conſueviſſe non ignorabis, quorum Herodotus, Ariſtophanes, Pauſanias, aliique veterum meminere[b]: ex recentioribus vero Meurſius, Caſtellanus[c], & qui de

(b) Herod. lib. VIII. n. 98. Ariſtoph. in Ran. a. III. ſ. 2. v. 82. Pauſan. Attic. c. 30.

(c) Meu. Graec. Fer. v. λαμπ. Panath. &c. Caſtell. de Feſt. Graec. &c.

de Graecorum Feſtis commentari ſolent. *Lampadum certamina tria fiunt in Ceramico Minervae, Vulcano, Prometheo*, inquit Ariſtophanis Scholiaſtes; Tribus hiſce quartum Pani ſacrum addo ex Herodoto, qui Gronovio interprete: *his verbis*, inquit[(a)], *fide habitâ Athenienſes, quando eorum tandem ſtatus bene conſtitutus erat, exſtruxerunt ſub Arce Templum Panis, illique annuis Sacrificiis, ex quo nuncium accepere ſacrificant, & Lampadis curſu ſupplicant*: Curſum hunc a ſuperioribus diverſum omnino eſſe nullus dubito, neque aſſentior Meurſio, qui ex hoc Libanii loco[(b)]: Μὴδ' ὁραθωτοίω ὁ βωμος μεχεις ἂνθεραπευηται παναθηναιοις μὲν Αθηνᾶ; Μυςηριος δὲ Δημητερ τῆ λαμπάδι δὲ ὁ Παν, και των ἀλλων εκαςος θεων τοῖς παλαιοις νομιμοις. *Quare ne videatur quoque Ara, quamdiu certe coletur Panathenaicis Minerva, Myſteriis Ceres, Pan Lampade, atque aliorum Deorum quiſque antiquis ritibus*: ex hoc inquam loco ſuadere conatur curſus illos omnes Pani ſacros fuiſſe: *ut ſingula ſingulis ſacra, ita uni Pani univerſa*. Quae porro in his omnibus currendi ratio foret docet Pauſanias: *In Academia*, Academia, ne Pauſaniam, & Scholiaſten diſſentire putes, & Ceramicum extra urbem poſitum unum eumdemque locum eſſe, ſeu potius Acade-

(a) Herod. lib. VI. n. 105.

(b) Liban. Or. XIV. p. 418.

Academiam hujus Ceramici partem ſuiſſe, pluribus oſtendit Meurſius [a]: *In Academia Promethei ara eſt, a qua Lampades accenſas praeſerentes homines in urbem decurrunt. In eo certamen eſt, ut in curſu accenſae conſerventur, cujus enim fax extincta fuerit, is victoriam proxime ſequenti cedit, eademque ratione ille tertio; quod ſi nulli ardentem facem ferre licitum fuerit, palma in medio relinquitur.* Facem hanc alterum alteri currendo tradidiſſe, ex veteri Perſii Scholiaſte, Meurſius, aliique augurantur. *Apud Athenienſes*, inquit Scholiaſtes [b], *cum juvenes curſu ludos celebrabant, qui victor eſſet primum facem tollebat, deinde ſequenti ſe tradebat, & ſecundus tertio ſimiliter omnes donec currentium numerus impleretur.* Aſt hoc Vulcanaliorum proprium fuiſſe ex Herodoto ſuſpicatur Wandalius [c]. Locus eſt libro VIII., ubi Perſarum curſores iis comparantur; qui in Λαμπαδηδρομιαις Vulcani currere conſueverunt: *quorum curſorum primus mandata tradit ſecundo, ſecundus item tertio, & ita deinceps illa mandata in alium, atque alium pertranſeunt, quemadmodum apud Graecos fax, quam Vulcano per vices ferre curſores perſeverant*: quae quoties attentius conſidero, atque cum iis confero, quae Ariſtophanes, & Pau-

(a) Meurſ. de Ceram. c. XX.

(b) Schol. Perſ. ad Sat. VI.

(c) Wand. diſſ. VI. C. V. p. 505.

& Pauſanias docent, dubitare ſoleo, an non ſu
cuique horum certaminum currendi modus, & r
tio foret. Sed hoc doctioribus relinquo.

XI. Sic igitur ſuſpicor, ut ad *Balanum* redear
illum vel alicui horum certaminum honoris cau
praefuiſſe; non enim ſine Praefecto, qui Βασιλεὺς d
cebatur, ut autor eſt Pollux (a), haec certamina
agebantur; illuſtris, & gravis etiam magnis impei
ſis praefectura, ſi Ariſtoteli credis (b): vel ipſum p
tius, ſuâ in urbe Λαμπαδοδρομια celebraſſe, quoru
deinde memoriam numis conſervatam ſuis voluerii
Non enim adeo Athenienſium propria fuiſſe hu
juſcemodi certamina putandum eſt, ut alibi etiar
celebrari nequaquam potuerint. Ter ea celebraſſ
Alexandrum Magnum apud Arianum lego primur
apud Solos Ciliciae urbem Ἀλέξανδρος δὲ ἐν Σολοι
θύσας τε τῷ Ασκληπιῷ, ϗ πομπευσας ἀυτος τε ϗ ἡ ςρατι
πᾶσα, ϗ ΛΑΜΠΑΔΑ ΕΠΙΤΕΛΕΣΑΣ (c): iterum Tyro ca
ptâ; ϗ ἀγῶνα γυμνικόν εν τῷ ἱερῳ ϗ ΛΑΜΠΑΔΑ ΕΠΟΙΗΣΕ (d
tertio tandem Suſis: ἐν ταῦθα θυσας τῷ πατριῳ νομῳ ἀλέ
ξανδρος, ϗ ΛΑΜΠΑΔΑ ΠΟΙΗΣΑΣ ϗ ἀγῶνα γυμνικον (e): La
tinus interpres graeca illa Λαμπάδα ἐπιτελεσας &c. in
terpretatur *collucentibus facibus*, ac ſi pompa, &
gymnicum certamen cum facibus peractum fuiſſet

D ir

in quo tamen Arriani mentem non eſt aſſecutus. Λαμπαδοδρομια haec Minervae ſacra fuiſſe non temere ſuſpicor; ac priora quidem ad Minervam ſpectaſſe ex iis conjicio, quae de Alexandro Solis

(a) Curt. li. III. c. 7.

commorante narrat Curtius (a): *Vota deinde pro ſalute ſuſcepta per ludum, atque otium reddens oſtendit quantâ fiduciâ barbaros ſperneret, quippe Aeſculapio, & MINERVAE ludos celebravit*: reliqua duo eidem dicata fuiſſe facile dabit, quiſquis Minervam, *Tutelare* Macedonum *Numen* fuiſſe non ignoret, apud quos celebris Minerva Alcidas Pellae culta; facilius etiam, qui Minervam praecipuo honore Alexandrum veneratum fuiſſe, apud Diodorum, Plutarcum, Arrianum, & Curtium legerit. At non ita facile ſtatuere auſim, cuinam Deorum, ex iis quos nominavi, haec Balani certamina ſacra fuerint. Pileatam, & ſubcintam effigiem cum videam ad Vulcanum pertinuiſſe ſuſpicor; recte, opinor; quando ſimili habitu veteribus in monumentis effingi Vulcanus ſolet. Lampadis certamen Vulcano ab Athenienſibus celebratum, quod is ignis uſum homines

(b) Ha. v. λαμπ.

edocuiſſet apud Harpocrationem legiſſe memini (b): *Iſter in prima Atticarum*, ait, *quemadmodum in feſto Apaturiorum Athenienſium, pulcherrimas induti*

Stolas

Stolas ſumentes e foco ardentes Lampades Vulcan *celebrant*, *ſacra facientes memoriae cauſâ*, *quod* *ignis uſum alios edocere excogitaverit &c.* Quae v ſi ſint non Argivi ſolum, qui Phoroneum ſuum ig inventorem praedicabant, quemadmodum nar Pauſanias [a], ſed Athenienſes etiam hanc Prom theo Japeti filio laudem invidebant. Ut enim no vulgaris fabula Heſiodi, Aeſchili, Sophoclis, H ratii, Luciani [b], aliorumque teſtimonio firmata *dax Japeti genus ignem fraude malâ gentibus* intuliſ qua de cauſa πυροφόρος θεὸς apud Sophoclem dicit Sed fortaſſe componi haec poſſunt, ſi dicas igne a Vulcano repertum, ab Jove hominibus ereptu Promethei beneficio iiſdem reſtitutum, lego eni apud Heſiodum [c]:

» Κρύψε δέ πυρ, το μεν αὖθις ἐΰς παϊς Ἰαπετοῖο
» Ἔκλεψ' ανθρωποισι Διὸς παρα μητιοεντος
» Ἐν κοιλῳ ναρθηκι λαθών Δια τερπικεραυνον

Abſcondit vero ignem, Jupiter, *quem rurſ*
egregius Japeti filius
Subripuit ad hominum uſum Jove a conſulto
In cavâ ferulâ fallens Jovem fulminibus ga
dentem.

Niſi mavis cum Diodoro, qui Vulcano reperti ign

la

laudem aliàs tribuit [a]; a Prometheo inſtrumentum, quo ignis elicimus dumtaxat inventum [b]. Ut ut ſit Συμβωμοι Vulcanus, & Prometheus, uti ex Pauſania paulo ante docui, firmatque ex Apollodoro Sophoclis Scholiaſtes apud Meurſium [c]: *colitur vero Prometheus etiam in Academia una cum Minerva, quemadmodum, & Vulcanus: eſtque illi ſimulacrum quoddam antiquum, ac Sacellum in Templo Deae. Oſtenditur autem vetus baſis in introitu, in qua Promethei ſignum, & Vulcani. Ac Prometheus, uti etiam Lyſimachides refert, primus factus eſt, & Senior dextra ſceptrum tenens, Vulcanus autem junior, & ſecundus. Ara praeterea communis utrique in baſi effecta.* Quod ſenior factus ſit Prometheus non ſculptoris ingenio, ſed rei veritati tribues. Japetus enim Promethei pater Saturni natu minimi filiorum Coeli, ut ait Apollodorus [d], frater fuit. Ex Saturno Jupiter, ex Jove, & Junone, ſive ut alii fabulantur ex Junone ſolâ natus Vulcanus, Prometheo ut vides Junior. Secundo Apaturiorum die Vulcanalia haec peracta, ex eo Harpocrationis loco, quem nuper citavi conjicit Meurſius [e]: num id Iſter voluerit cum dixit: ὡς ἐν τῆ των Ἀπατυριων ἑορτῆ Ἀθηναιων οἱ καλλιςας ϛολὰς ἐνδεδυκότες λαβοντες ἡμμηνας λαμπαδας ἀπὸ

(a) Diod.Sic.li. I. n. 13.

(b) Id. l. V. n. 67.

(c) Meurſ. Cer. c. 25.

(d) Apoll. Bib. lib. I.

(e) Meurſius Graec. Fer. v. Απατυρια.

ἀπὸ τῆς ἑσπέρας ὑμνοῦσι τὸν Ἥφαιστον θύοντες ὑπόμνημα τοῦ καταυγάσαντος τὴν χρείαν τοῦ πυρὸς διδάξαι τοὺς ἄλλους ; aliorum judicium eſto, ego de diverticulo in viam tandem redeo.

XII. Hactenus Gallos graece nequaquam locutos oſtendimus, age nunc videamus an graeca ſaltem elementa ſcribendo uſurparint, quod placuiſſe nonnullis video, anonymo praeſertim, quem paulo ante nominabam. Fatetur hic quidem graeci ſermonis ignaros fuiſſe Gallos, idem tamen magnopere contendit graeca elementa, & caracteres a Gallis adhibitos fuiſſe. Atque illud quidem ex eo conficit, quod graecas Caeſar ad Ciceronem epiſtolas dederit, cum ſua ab hoſtibus conſilia ignorari vellet: hoc autem tum Caéſaris ejuſdem autoritate, Strabonis, & Plinii ſtatuit; tum Gordiani Martyris, & Galliae Nuncii epitaphio graecis elementis, latinoque ſermone conſcripto, atque unico veterum Galliae characterum monumento confirmari invictiſſime arbitratur (5). At ſua hominem opinio egregie

(5) „ Voicy une reflexion ſur l'antiquité des Gaulois, que „ perſone peut être n'a fait encore. Les Gaulois ſe ſervoient „ des caractéres grecs de l'aveu de Ceſar, de Strabon, de Pline; cependant ils n'entendoient point un mot de grec. Car „ Ceſar parlant d'une lettre, qu'il avoit envoie a Q. Ciceron... „ il


gie fallit. Quid Strabo, quid Caeſar velit jam dixi, de Plinio nihil eſt, quod poſſim reponere, quando Plinii verba anonymus nec profert, nec eorum ullum exhibet indicium. Quod ſi forte Plinium eò ſuas in partes traxit, quod Druidarum nomen a Graeca voce ΔΡΥΣ [a] arceſſit, Plinium, Caſaubono, aliiſque autoribus, deceptum hac in re non timide pronuncio: *Non aſſentior*, inquit Caſaubonus [b], *Plinio conjicienti Druidas a voce graecâ eſſe appellatos,*

(a) Plin. H. N. XVI. c. 43.

(b) Caſaub. in Laer. Proem.

tos,

„ il ajoute, qu'il avoit écrit expres en Grec afin que les Gaulois ne peuſſent étre inſtruit de ſa marche, au cas, que la lettre fut interceptée. LES GAULOIS ecrivoient DONC leur langue en CARACTERES GRECS, cela eſt INCONTESTABLE, non ſeulement parce que je viens de dire; mais encore par l'unique monument, qui ſoit reſté des anciens caractéres Gaulois. C'eſt cette inſcription ſepulcrale trouvée a Rome ſur un Tombeau du martyr Gordien meſſager des Gaulois.



Rel. de Gaul. Tom. I. pag. 38.

tos; quin potius Strabonis prudentiſſimum conſilium
quor, negantis in appellationibus gentium barba
rum graecas etymologias eſſe quaerendas. Sed de l
juſce nominis veriloquio a veteribus Septemtrio
lium linguis deducto, vide Baxterum, & Haſaeum
Quam porro illud ridiculum, ut Gallorum vetuſ
ſimos graecis elementis ſcripſiſſe oſtendat, epitaphi
Romae repertum proferre, quod etſi ad Gallu
pertineat, medio ſaeculo II. ut citius, exarat
fuit? Aeque mihi ridendus, ac ille quiſquis fuer
qui (b) Aegyptios Attidii in Piceno Marmoream C
murio Tabulam inſcripſiſſe; vel ſaltem ex Aegy
Attidium tranſtuliſſe opinatur, quod in ea Hept
nomus, & Arſinoitae nominentur. Praeclara ſa
conjectura! Hunc porro lapidem, qui apud Mur
torium turpiter deformatus eſt, integrum, atq
emendatum dabo, ubi de *Orcitirige* dicendi fine
fecero, & quando his magnopere muneribus del
ctaris duo alia adiciam veterum monumenta Sal
tiis non ita pridem reperta, atque ab Amico ad n
miſſa. Ad anonymum revertamur, cui confutand
illud etiam accedit, quod alia extent ſimilibus r
dibus, atque inconcinnis caracterum formis inſcr
pta veterum monumenta, quae cum ad Galliam ne
quaqua

quaquam ſpectent, aperte demonſtrant, illam ſcribendi rationem, non Celtarum propriam, ſed iiſdem cum aliis etiam gentibus communem fuiſſe; cum iis ſcilicet qui καλλιγραφιας regulas ignorabant. Nec ridenda minus, quae de graecis apud Gallos caracteribus deinceps philoſophatur. Negat a Maſſilienſibus elementa haec Gallos habuiſſe; negat dici id ab eo poſſe, qui veterem hiſtoriam probe calleat (6). A Maſſilienſibus Gallos accepiſſe literas alii etiam negant; jure ne, an injuria, non hic quaero: illud quaero, an legitima negandi ratio videri cuiquam poſſit, quod iiſdem Helvetii quoque, & Germani uterentur? Non is profecto ſum, qui me hiſtoriae ſcientiſſimum praedicem, non video tamen quid contra hiſtoriam peccaturus ſit, qui Gallos a Maſſilienſibus, a Gallis Helvetios, ab his, vel a Gallis Germanos graecas literas accepiſſe dixerit? At Germanos graecis caracteribus uſos ex perperam intel-lecto

(6) „ Je demande au preſent, d'ou vient, que les Gaulois „ juſqu'aux Helvetiens, & aux Germains mêmes ſe ſervoient „ des lettres grecs ſans ſçavoir le grec? Dira-t-on qu'ils teno„ ient cela des Phoceens de Marſeille? C'eſt tout ce qu'on pour„ roit dire ſi les Germains, & les Helvetiens n'avoient pas eu „ les mêmes caractéres; mais comme cela n'eſt point; jamais „ perſonne bien inſtruite dans l'hiſtoire ne donnera ce reponſe. „ Id. pag. 41.

lecto Taciti loco, ſibi anonymus perſuadet. Narrat Tacitus [a] nonnullos ſua aetate fuiſſe, qui Ulixem Germaniam adiiſſe opinarentur, hujuſque rei teſtem proferrent Aram Ulixi ſacram adjecto Laertae patris nomine eodem in loco olim repertam; ad haec monumenta, & tumulos quoſdam graecis literis inſcriptos in confinio Germaniae, Rhoetiaeque adhuc extantes: *quae*, inquit, *neque confirmare argumentis, neque refellere in animo eſt*. Ex quibus nemo, arbitror, niſi anonymus, Germanos graecas literas uſurpaſſe jure concludet. Nec vero deſunt, qui Germanos Taciti aetate literas adhuc ignoraſſe, contendant, quod is ſcripſerit [b]: *Literarum ſecreta apud Germanos viri pariter, & mulieres ignorant*; *quod licet de literis amatoriis forte intelligendum viris doctis elargiamur*, inquit Bruckerus [c], *ignoratum tamen ſimul in ſcribendo uſum involvit*: quae ego hic nec probo, nec oppugno: ſed nec Schoedio aſſentiar [d], qui Germanos a Thuiſtone longe ante quam Cadmus in Graeciam navigaret literas edoctos cenſet. Aſt iterum anonymum audiamus. Quaerit cur non a Phocenſibus, una cum caracteribus linguam etiam Galli acceperint? Quî factum ſit, ut Graecorum elementa rudia adeo, ac barbara fuerint apud

(a) Tacit. de Mor. Germ. n. 3.

(b) Tacit. l. c. n. 19.

(c) Bruck. Hiſt. Phil. T. I. p. 314.

(d) Schoed. de Diis Ger. c. 18.

Gallos,

Gallos, ac Maſſilienſibus caracteribus diſſimilia; hos enim multo nitidiores fuiſſe, reperta Maſſiliae vetera epigrammata ſatis teſtari [7]. Haec eo, ut vides, pertinent, ut Gallos a Maſſilienſibus literas nequaquam accepiſſe evincat. Sed fruſtra; primum enim dico caracteres a Graecis accipere Gallos potuiſſe, quin linguam etiam acciperent, uti a Phoenicibus accepiſſe Graecos fama eſt, linguam non item: deinde nego Gallos, eâ, de qua agimus, aetate, vel graece locutos, vel graecas uſurpaſſe caracterum formas: illud ſatis docui; hujus certa velim proferri monumenta, quae contrarium perſuadeant. Maſſilienſium epigrammata, ut nihil de eorum vetuſtate diſputem, eo nitidiora eſſe dico, quod Graeci peritioribus, quam Galli lapicidis uterentur.

XIII. Sed quando a Maſſilienſibus literarum formas habuiſſe Gallos negas, dic age a quibuſnam tandem edocti ſcribendi modum, & regulas didicerint. Ipſi, inquit [8], ex Aſia in Europam literarum ele-

(7) Mais pourquoi les Gaulois ne prirent ils pas auſſy la „ langue des Phoceens, d'ou vient, que les caractéres grecs „ étoient ſi barbares, ſi differens, & n'avoient nulle propor- „ tion avec le caractéres grecs des habitans de Marſeille, qui „ ſont venus juſqu'à nous par le moin des inſcriptions trouvée „ à Marſeille. „ l. c. pag. 42.

(8) „ Ils les avoient porté d'Aſie en Europe . . . ces cara-

elementa detulere, nec alia, quam quae in Graeciam deinde intulit Cadmus. Rudes, *Jejunas* cum tamdiu apud Gallos fuiſſe literas videas, an non ſentis, eas a Maſſilienſibus nequaquam deſumptas? Hi enim graecas literas ab Homero jam expolitas, atque auctas in Galliam intulerant. Si Homerum nacta aliquem Gallia fuiſſet, nec rudes adeo literas habuiſſet, nec earum plurimis caruiſſet. Ad haec *Celtarum* lingua, eadem ac Phoenicia, quam Cadmus in Graeciam tranſtulit; Celtarum Deorum nomina Celtica aeque ac Graeca, eadem illis apud Celtas, & Graecos ſubjecta notio. Papae! quam praeclara haec, & peregrina! Vellem indicaſſet, unde nam hauſerit Homerum Graecorum caracterum formis expolien-

„ ctéres, que Ceſar appelle grecs étoient ceux la même, „ que Cadmus avoit porté en Grece. La rudeſſe, & ce qu'on „ appelle *affamé* dans l'eſpece particuliere, qu'ils conſerverent „ toujours dans les Gaules, eſt une preuve ſenſible de la ve- „ rité, que j'avance. Les caractéres de Cadmus ne depouille- „ rent leur rudeſſe, qu'à l'arrivée d'Homere, qui mis ſes ſoins, „ à les polir: le defaut d'un Homere dans les Gaules fit au „ contraire, que les lettres reſterent non ſeulement dans leur „ premiere groſſiereté, mais encore ſans le nombre complet. „ La langue des Celtes étoit auſſi la même, que celle, que „ Cadmus apporta de Phenicie en Grece, tous ces noms des „ Dieux Gaulois dont je parle dans cette ouvrage Eſus &c. „ ſont tous mots grecs auſſi bien que Celtes: auſſi ont ils la „ même ſignification dans la langue des uns, & des autres. „ Id. pag. 43.

poliendis incubuiſſe, nunc enim primum audio; ſed & multa alia latere me non invitus fateor. Verum his omiſſis, quaecumque fuerit vetus Celtarum lingua e Phoeniciâ ne, an ex Hebraeâ, an ex Graecâ deducta, ſuos ſententia quaeque Patronos habet [a]: haec ſunt, quae generatim dico primum parcius, ex hac vocum aliquarum communione, de linguarum origine diſputandum; facile enim ex unâ in aliam populorum vicinitate, & commercio vocabula commigrare conſueverunt, ex quo alterum ex alterâ deductum efficere jure nemo poſſit. 2. Non minus ſobrie de linguarum origine, & communione ex nominum veriloquiis pronunciandum: nihil quippe facilius acri eruditoque etymologo, quam cujuslibet vocis etymon ex quacumque libuerit linguâ adjectâ, vel immutatâ paululum literâ, ſeu ſyllabâ deducere; quorum multa ſane vidi ingenioſe, ac feliciter excogitata; at plura etiam duriter, violenter Diis, Deabuſque omnibus Superis, Inferis, Medioxumis invitis detorta. 3. Cadmum novas in Graeciam literarum formas attuliſſe, vetus eſt opinio pueris ipſis nota: verane an falſa diſputare hic non neceſſe habeo: fuſe de hac re Bouherius in egregia illa de priſcis Graecorum, Latinorumque literis diſſer-

(a) Vid. Scoefli. Alſat. Illuſtr. T. I. pag. 94.

diſſertatione. At illud velim ſcire, unde habeat ar nymus Cadmaea, ſeu Phoenicia elementa illa, qu Cadmus in Graeciam intulit, a Gallis in Europa deportata. Quid ſi negem ullas habuiſſe eos liter cum ex Aſia profecti ſunt? Non temere faciam fo taſſe, habeo enim quos ſequar Bimardium, Pell terium, Bruckerum[a], qui antiquiores Celtas u lum ſcribendi artis uſum habuiſſe negant[9]. A haec ſi Aelianum audis[b], omnibus Europae Ba baris literis uti diu indecorum fuit: *Ex Veterib Thracibus neminem ajunt literas noviſſe. Imo turpiſ mum eſſe putarunt veteres Europam inhabitantes Ba bari literis uti*. His ego aliiſque plurimis Gallo cum ex Aſia in Europam tranſmigrarunt, liter nequaquam habuiſſe contendere non temere poſſem habuerint tamen, atque ad vetuſtiſſima Galloru tempora referantur, quae de iiſdem narrat Diodo rus[c]: *In funeratione mortuorum epiſtolas propinqu inſcriptas in rogum conjiciunt, quae a defunctis l gantur*; ad ea inquam tempora, quae & Phoceer ſium

(9) L'uſage des lettres, & de l'ecriture a même eté incon „ nu pendant tres long tems aux peuples du Nord. Les Gau „ lois apprirent cet excellent ſecret des Grecs, qui avoient eta „ bli la Colonie de Marſeille vers l'an 165. de la Fondation d „ Rome &c. Pelloutier l. c.

ſium in Galliam adventum, & Gallorum in Italiam deſcenſum ſuperent, referantur. At quis hominem docuit elementa illa Cadmaea fuiſſe, nec alia Caeſarem deſignaſſe cum literas graecas a Gallis uſurpatas ſcripſit, ſi vere ſcripſit? Veterum Scriptorum nullum profecto proferet. Nam quod efficere id velit, ex ipſa rudi, atque *jejunâ* literarum formâ eſt mehercule quam ineptiſſimum. Ut autem multa omittam, quae diſputari contra poſſunt, quod nam profert literarum iſtarum monumentum? An Numos? At hi, ut dixi, Romanorum in Galliam adventum aetate neutiquam ſuperant; & ſi ſuperent Cadmaea certe non ſunt Numorum illorum elementa: non enim Cadmaea R, & C, ſed Latinorum; non X, ſeu Ch. à Palamede, ut fertur inventa: brevi caracteres omnes Numis inſcripti, ſi unum aut alterum excipas Latinorum ſunt. Ut ſatis probabile cenſeam Gallos, qui Italiam toties intrarunt, tam late tenuerunt, tanta cum Romanis ipſo in Latio, atque adeo ipsâ in urbe duella bellarunt, caracteres in Italia accepiſſe, atque in Gallias aſportaſſe; ubi Celticis, ſi qui fuerunt, paulatim obſoletis Romani publice, privatimque uſurpari coepti ſint: quemadmodum proximâ in Hiſpaniâ factum

fuiſſe

fuiſſe novimus, ubi veteres hiſpanas literarum fi
mas Romanae paulatim expulere. A Numis excl
ſus ad Lapides provocabit anonymus, ad Gord
ni Martyris epitaphium, opinor, nam hoc uni
reliquum eſſe dixit magno e naufragio, ex quo v
terum Galliae caracterum formam dignoſcere po
mus. At oleum, & operam perdet: neque enim
Gallo epitaphium illud conſcriptum ſatis conſta
& multo recentius eſt, ut remotiſſimae antiquita
teſtis eſſe queat: & literas habet, quae Cadmae
certo non ſunt. Nam Cadmaeae non ſunt Y, φ,
ut doctiores conſentiunt, quiſquis illas Cadma
adjecerit: nec K, & V, ut Bianconius [a], ſuſpic
tus eſt. Sed anonymum ſua ſibi ſomnia habere r
linquamus. Tu interim mecum illud concludas v
lim; perperam eos facere, qui Gallicos a Bouter
vio vulgatos Numos non aliâ de causâ adulterin
ſuſpicantur, quam quod graece ſcripti non ſin
perperam illos etiam, qui eâdem de causâ *Orget*
rigi Helvetio latinis literis inſcriptum Numum tr
bui poſſe inficiantur.

XIV. Ex his quae hactenus diſputata a me
ſunt cave exiſtimes in eorum me ſententiam pedi
bus, ut ajunt, ire, qui *Orgetorigi* Numum hun

no

non dubitanter tribuunt. His equidem non invitus adjungerer, ſi quid ſolidi afferrent: at cum leviſſimis conjecturis in hanc illos ſententiam deſcendiſſe animadvertam, ſuſpenſus adhuc, & incertus pendeo, quoad meliora edocear. Ecquid porro profeſerunt Bouterovius, Havercampius, Schoeflinus, Bochatius [a], ut *Orgetorigis* Numos eos eſſe credamus, qui ORCITIRIX inſcribuntur? Non aliud profecto quam utriuſque nominis ſimilitudinem. At hoc non tanti eſt, me judice, ut *Orcitirigem*, & *Orgetorigem* unum eumdemque eſſe ſtatuere certo poſſimus. Noſti opinor hujuſmodi nominum ſimilitudine, non vulgares modo, ſed magni etiam nominis Scriptores in fraudem inductos. Sic, ne a Gallia diſcedam, Bituii Gallo-graecorum regis numiſmata Begerus, & Spanhemius quadam nominis ſimilitudine decepti *Bituito*, ſeu verius *Betulto* Arvernorum Regi tribuerunt, ut ſupra docui. Ni certiora igitur afferantur argumenta, illud multo mihi probabilius alium *Orcitirigem* hunc tuum, alium eſſe Caeſaris *Orgetorigem*, quorum inter ſe nomina differre apertum eſt, ut ut levis ſit iſta nominis diſſimilitudo. Nam nec Bouterovius perſuadet librariorum vitio *Orgetorigem* pro *Orcitirige* apud Caeſarem ſcriptum

(a) Bouter. Rech. cur. de Mon. de Franc. p. 51. Havercam. not. in Oroſ. p. 386. Schoeflin. Alſ. Illu. p. 599. &c. Bochat. Hiſtor. Suiſ. T. I. pag. 584.

fuiſſe

fuiſſe[11]; qui dum Caeſaris librarios culpat I nem, & Oroſium, alioſque accuſat, a quibus ι τορυξ, & *Orgetorix* Helvetius iſte nominatur. I ſatis probat Bochatius[11] Caeſarem ευφονιας ca barbarum nomen Latinis auribus accomodaſſe, pro *Orcitirix* durâ, atque aſperâ voce, E, & (duabus I ſuffectis, *Orgetorix*, dulcius mollibus a ribus nomen reddidiſſe. Helvetiis auribus dulci *Orgetorix*, quam *Orcitirix* ſonare, viro docto H vetioque affirmanti, non eſt cur non credam: Latinis, Romaniſque auribus dulcius ſonaſſe, qu bus tandem argumentis evincet, ſi affirmanti non credam? Quid ſi negem Barbarorum nomina a Ca ſare immutari conſueviſſe? Non temere id faciam cum plura alia videam apud eum Barbarorum n mina aſpera ſane, & pronunciatu difficilia, quae Caeſare nequaquam immutata apertum eſt. Illu ultro, ne omnia viro docto negare velle videar, il

lu

(10) „ Les Commentaires de Ceſar le nomment *Orgetorix* „ mais le changement de l' E., & de l' O. peut avoir été fai „ par les copiſtes. Bouter. l. c.

(11) „ Les Romains ne manquoient gueres de faire au „ noms étrangérs un peu rudes quelque changement pour le „ rendre en latin d'une façon qui les radoucit. *Orgitirix* avoi „ quelque choſe d'aigre: Ceſar en changeant le premier I. e „ E, le ſecond en O, en fit *Orgetorix*, qui ſonne ſans contredi „ beaucoup mieux à l'oreille „ Boch. l. c. pag. 588.


F

lud ultro Bochatio dabo latinam rationem in *Orgetorigis*, aliorumque Barbarorum nominibus declinandis ſecutum Caeſarem fuiſſe, quod Graecis in nominibus facere illum conſueviſſe a Quinctiliano [a] didici. Aſt id ut efficeret vocales ſuis locis amovere, atque alias eorum in locum ſufficere non fuit neceſſe.

(a) Quinctilia. Inſt. Or. lib. I. c. IX.

XV. Sed de Numi autore nimis fortaſſe multa, pauca de Numo ipſo, ac de *Orcitirigis* nomine. Ac primum tibi ipſi gratulor, quod praeclarum adeo nactus ſis Numum. Quamquam enim de Numorum raritate cautiſſime pronunciare ſoleam, nec ſtatuere auſim, non alium ante hunc *Orcitirigis* Numum repertum, quam qui a Bouterovio vulgatus eſt; cum multa tamen curioſius perſcrutanti, ille unus dumtaxat occurrerit, jure ſane aliquo affirmare mihi poſſe videor Numum hunc tuum a Bouteroviano non parum diverſum, inter rariſſimos recenſendum eſſe. Quae ſit Numi utriuſque differentia, ut tute ipſe intelligas, placet Bouterovii Numum hìc exhibere. Imberbe, & galeatum caput vides, non *Orcitirigis*, quemadmodum cenſuit Bochatius, ſed ut ego ſuſpicor Palladis, quae Gallis *Beliſana* dicta eſt; foemineum enim caput pendentes auribus gemmae ſatis,

tis, reor oſtendunt: adjecta vox COIOS, quid ſibi velit, pluribus diſputat Bochatius, quae paulo



poſt perpendam. Alterâ in parte equum ſeſſore vacuum, & effrenem effinxit artifex, deſuper ORGITIRIX legit Bouterovius, ORCITIRIX habet Havercampius, ſi Bochatium audis (a) librariorum errore: ut ut ſit ORCITIRIX ſcribendum Numus tuus diſerte docet; qui ut dicebam a Bouteroviano non parum differt. Princeps enim Numi pars imberbe caput exhibet diademate, ſeu vittâ circumdatum; nullae circum literae, ſi quae fuerunt, periere detritâ dexterâ Numi orâ. Alterâ in parte equus, & hic ſeſſore vacuus currens, ſed habenis collo circumligatis, ſub equo Leonis caput linguâ enormiter exertâ jacet; deſuper ut dixi ORC:TIRIX. Cujus nam ſit caput illud priori in parte ſculptum fruſtra a me quaeres, foemineum eſſe non dubito, ac Gallicarum Dearum aliquam exhibere facile mihi perſuadeo: at quae nam illa ſit definire non audeo, Juno ne, an Venus, an Diana, an quae Celto-Britannis *Andate*, ſive *Andraſta*, ut

(a) Bochat. l.c. p. 587.

(a) Baxt. Gloſ. Britan.
(b) Dion. lib. LXII. p. 1008. n. ed.

Baxtero placet [a]; Latinorum *Victoria*, ſi Dioni credimus [b]: *in Andate praeſertim luco: ſic enim Victoriam appellabant eamque colebant ſtudioſiſſime*. Junonem ex diademate ſuſpicabar; de Diana etiam, quam Galli *Arduinnam* dixere cogitabam, eo libentius, quod hujus tanta apud Gallos reverentia, ut Chriſtianâ etiam religione adultâ illius cultus, & ſuperſtitio aegre apud illos extirpari potuerit, quemadmodum refert Banierius (12). Ad haec ſi ad Dianam averſae Partis equum, & leonis caput referre libuiſſet, Dianam ἱπποσόαν, apud Pindarum legeram [c]:

(c) Pind. Olym. Od. 3.

ἔνθα Λατῦς
ἱπποσόα θυγατηρ
δέξατ' ἐλθόντ' Αρκαδίας ἀπὸ δει-
ρᾶν, ϗ πολυγνάμπτων μυχῶν.

„ *Ubi Latonae*
„ *Equorum agitatrix filia*
„ *Excepit venientem Arcadiae ab*
„ *Jugis, & varieflexuoſis receſſibus*.

eam-

(12) Le culte d'Arduinna dura dans les Ardennes, & dans
„ les païs voiſins du Rhin juſque bien avant dans le Chriſtianiſme
„ où pluſieurs Saints, ou Evêques, ou Religieux eurent toutes
„ les peines du monde à l'abolir. Ban. Mith. I. c. c. x.

eamdemque cum leone videbam non epheſiis m
in ſimulacris, ſed in vetuſtiſſimâ etiam Cypſeli
câ apud Pauſaniam [a]: *jam vero Dianam, quan
rem volucrem fecerint non facile dixerim, hun
alae certe applicatae ſunt, dexterâ Pardalim, al
LEONEM tenet*. Nec Dianam dedecet vitta,
diadema, ut ab aliis jam animadverſum eſt [b].

XVI. At haec conjecturae merae; illud m
me dubium Gallorum in Numis equum frequen
ſime exhiberi, vel quod, inquit Bouterovius (13),
bilium equorum ferax eſſet Gallia; vel quod b
coſi forent Galli, *bello enim armantur equi*: eâ
de causâ Marti Bellorum praeſidi ſacer apud C
los equus fuit. Utrumque ſatis probabiliter, at
lud omnino falſum, quod addit; Gallos, cum eq
ſine habenis, atque inermes Numis ſuis caelaba
liberos ſe, atque externi imperii, nequaquam
tientes oſtendere voluiſſe. Caeterum non apud G
los dumtaxat, ſed alias etiam apud gentes eq
Ma

(13) „ Le Cheval étoit la marque preſqu' ordinaire des n
„ noyes Gaulois, ou pour montrer que leur païs étoit fertile
„ bons chevaux ; ou que le peuple étoit porté à la guerre a ca
„ que le cheval en étoit le ſymbole : *bello armantur equi* :
„ & pour ce ſujet les Gaulois conſecroient leur chevaux
„ Mars ... pour le cheval courant ſans bride, & ſans couv
„ ture ils vouloient montrer, qu'ils étoient libres, & qu'ils
„ pouvoient ſouffrir une domination étrangere „ Bouter l. c.

Marti ſacer fuit. Romanos rerum dominos equum Marti dicaſſe docebunt te Plutarcus, & Feſtus [a]: *October equus*, inquit Feſtus, *appellatur*, *qui in Campo Martio menſe octobri immolatur*, *quotannis Marti bigarum victricium dexterior...... quem hoſtiae loco quidam Marti bellico deo ſacrari dicunt*, *non ut vulgus putat*, *quia velut ſupplicium*, *de eo ſumatur*, *quod Romani Ilio ſunt oriundi*, *& Trojani effigie equi ſunt capti*. Sacrificium hoc idibus Decembris peractum ſcribit Plutarcus, at ni oſcitantis Librarii error ſit, deceptum Plutarcum pro certo habeo. Oſtendit ipſum equi nomen, firmatque Kalendarium apud Lambecium [b]; ubi idus Octobris equi ſacrificio inſignes ſunt ID. EQVVS AD NIXAS FIT. pro AD NIXAS, Bucherius ADNIXVS legit, probavitque Lambecius, ac de *equo Octobri*, qui in ludis equeſtribus prae caeteris *Adnixus* Marti immolabatur, interpretatus eſt. Martis equum lubenter hic agnoſco, at illud *Adnixus* minus placet. Nihil immutandum cenſeo, lege *Ad Nixas*, atque ita meo periculo interpretator *Idibus Octobris equus* Marti *ad* Ciconias *Nixas* immolatur. *Ciconiae nixae* in regione Urbis IX. apud P. Victorem, quo regionis loco incertum. At cum apud has Martis

equus

(a) Plut. Q. R. n. 97. Feſt. v. October. v. equus.

(b) Lamb. To. IV. pag. 286., 297.

equus immolaretur, qui autore Feſto in Ca
Martio immolabatur, in eo fuiſſe illas arbit
non longe a Martis, vel Arâ, vel Templo. A
Martis ex Livio [a] noſti, Templum habes a
Dionem [b]. Ciconias haſce intactas tibi relinqu
ne quae de iis dicturus es cum ανεκδοτον *Vinaric*
Rationarium interpretaberis, atque illuſtrabis, p
occupare velle videar.

XVII. ORCITIRIX. Si quid vox iſta ſibi
lit interroges, *Supremum Sylvarum Regem*, *ſeu*
minum interpretor. OR enim nominibus pr
xum [14] idem eſt, ac AR, ARD, ARTH, quo
tum, *ſublime*, *ſupremum*, apud Celtas ſonat. CI
Coit, quae vox apud Gallos *nemus* ſignificabat,
συναιρησιν deduci facile poſſe nemo non videt. R
Baxtero, aliiſque pluribus idem eſt ac *Rex*. *Cin*
torix, inquit Baxterus [c], *quaſi dicas Britan*
Kenta-rig, *quod Primus eſt*, *Rex*, *ſive Ductor*.... *Q*
Vercingetorix, *Straboni* ουερκιγγετοριξ, *niſi ſerm*
Celtarum URKEN TARIG cum articulo Britan
co..... *Kend-rig*, *vel Kend-ragon caput Regum*, *R*

Pr

(14) „ OR à la tete d'un nom ne marquoit pas moi
„ que celui, qui le portoit étoit au deſſus de tout, que A
„ ARD, ARTH, qui ſignifioit Haut, Elevé, Supreme.„ I
chat. l. c. pag. 587.

Princeps. Novi ſane, qui pro RIX, a Gallis RICH ſcriptum velint: *Rix*, inquit Bocartus [a], *multo in uſu in magnatum nominibus exemplo ſunt Sinorix, Dumnorix, Orgetorix &c. puto Gallos ſcripſiſſe: Rich ut Britones, & Germani hodieque. Rich id eſt fortis, & potens.....Rich autem videtur eſſe Arabum RiK....vis, & Robur*. Bocartio ſubſcripſit Bouterovius [15], & Bocatius, accedes & tu, ſi voles; at non idcirco interpretationem ego meam deſeram. Nam & Reges αντονομαςικως potentes, & fortes nuncupati: καθῆλε δυναςας ἀπὸ θρονον; habet Lucas [b], quae vulgatus interpres reddit: *depoſuit potentes de ſede*, Reges nimirum, & Principes. Sic *Robuſtos Moab* [c], ἄρχοντες interpretantur LXX. *Principes* Aben-Ezra. At Romanos vocem hanc *Rich* pronunciare non potuiſſe, ut credam, non impetrabit Bouterovius [16]. Miror ſane poſt tot ſaeculorum intervallo virum doctum,

(a) Boch. Can. c. 42. p. 739.

(b) Luc. I. 52.

(c) Exod. XV. 15.

---

(15) „ J'ai exprimé la derniere lettre d'Ambiorix par un „ CH d'autant que c'eſt un X, & non pas un ξ. Rich en „ langue Gauloiſe ſignifioit fort, & puiſſant; c'eſt ainſi que „ Fortunat l'explique dans le nom de Chilperich:

„ Chilperiche potens, ſi interpres Barbarus adſit
„ Adjutor, Fortis hoc quoque nomen habet.

Bouter. l. c. pag. 42.

(16) „ Les Romains ne pouvant prononcer Rich comme „ les Gaulois avec un aſpiration, ils l'adouciſſoient, & au lieu „ de X mettoient le ξ, qui eſt nôtre X, & qui ſe prononce „ comme un CS. Id. l. c.

ctum, adeo confidenter ſtatuere, quid Romani p
nunciare poſſent, quid non; neque haec animadve
ſe, quae ſcripſit Quinctilianus [a]: *quamquam per ad*
rationem, ſive adjicitur vitioſe, ſive detrahitur a
nos poteſt quaeri, an in ſcripto ſit vitium, ſi H l
ra eſt non nota, cujus quidem ratio mutata cum t
poribus eſt ſaepius. Parciſſime eâ veteres uſi etiam
vocalibus, cum OEDOS, IRCOSQUE dicebant; diu
inde obſervatum ne conſonantibus adſpiraretur, ut
GRACCIS, & TRIUMPIS: erupit brevi temp
nimius uſus, ut CHORONAE, CHENTURIONI
PRAECHONES adhuc quibuſdam inſcriptionibus n
neant. Qua de re Catulli nobile epigramma eſt. I
durat ad nos uſque VEHEMENTER, & COMPR
HENDERE, & MIHI. Nam MEHE quoque p
ME apud antiquos quidem Tragoediarum Scripto
in veteribus invenimus. Haec ſi legiſſet cautiu
opinor, ſtatuiſſet Romanos CH pronunciare no
valuiſſe. Sed antequam de tuo Numo dicendi fine
faciam, obſerves velim, quartum *Orcitirigis* eleme
tum tribus ad perpendiculum punctis efformatu
eſſe hoc in Numo. An caſu id factum ſit, & A
tificis ingenio; an Celtici *alphabeti* litera haec fu
rit ignoro. Similem invenio in Numis Hiſpanic

G apı

(a) Laſtan. Tab. XXIX. n. 45. T. XXX. n. 51. Ta. XXXI. n. 60. T. XXXII. n. 66.

apud Laſtanoſam [a]. Hinc miror literae hujus formam a Mahudelio, qui Hiſpanicum *alphabetum* ex iis Numis efformavit, praetermiſſam fuiſſe: ni forte operarum oſcitantiae tribuendum ſit, ut ſuſpicor: recenſuit ſane Gorius [b]; & eamdem eſſe ſtatuit hiſpanam hanc literam, ac Latinorum I, & Graecorum ἰῶτα, quod recte factum Numus hic tuus oſtendit.

(b) Gor. diſ. del. Alf. Etruſc. pa. CXI.

XVIII. Iis, quae ad Numum tuum pertinent perfunctus ad ea nunc accedo, quae de voce COIOS Bochatius diſſerit. In eo totus eſt vir doctus, ut oſtendat COIOS Celtice, idem eſſe, ac Latine *Cajus*; *Cajus* vero proprium *Orcitirigis* nomen vult (17). Erravit, inquit, Bouterovius, qui loci nomen eſſe cenſuit; Orgitirix. *appellativum* nomen eſt, ac dignitatem deſignat. Quis credat Urbis nomen antica

---

(17) „ Bouteroüe ſe trompoit a mon avis en prenant le „ mot *Coios* pour le nom de quelque Ville, ou Bourg. Il eſt „ plus probable, que c'eſt le nom propre d'Orgetorix, & le „ même que Cajus... Ma conjecture, que Cojos eſt le nom „ propre d'Orgetorix eſt d'autant plus admiſſible, qu'on ne „ ſauroit douter, que Orgitirix ne ſoit un nom appellatif, & „ proprement un titre.... Enfin il ſeroit peu naturel, qu'on „ eut mis dans les medailles dont il s'agit un nom de Ville „ au devant de la tête, & au revers ſeulement le nom du perſonage à l'honneur, de qui la medaille fut frappée. „ Bochat l. c. pag. 585.

câ in Numi parte poſitum, ubi *Orgitirigis* c
inſculptum eſt; Alterâ vero in parte illius tar
dignitas, cui Numus inſcribitur? Haec ille, quc
poſtrema, cum *Orgitirigis* caput Bouteroviano
Numo non exhiberi ipſius Numi teſtimonio ſta
rim, corruere jam ſentis. Voce illa *Orcitirix* vi
principem deſignâri non improbo; at idem con
do *Orcitirix* nominis loco, non dignitatis hìc p
tum. Quis enim ſibi perſuadeat Caeſarem, qu
Scriptorem, & quantum! propriò Helvetii Ducis
mine omiſſo eum ex magiſtratu dumtaxat deſig
ſe? Idem igitur de hac voce *Orcitirix*, *Orgetori*
ces, quod de *Senatoris*, *Venatoris*, *Meſſoris &c.* n
nibus docti diſputant viri [a]: quamvis ſcilicet A
Dignitates deſignent, eadem tamen virorum ſa
nomina eſſe, & cognomina. Sic *Meſſor* cognon
eſt, veteri hoc in lapide ex tuis ſchedis:

D M
C. VALERIO . C. F.
sic
MESSENVO . NAT
ERISAO . V. A. XVIII.
C. VALERIVS . MESSOR
PATER . FILIO FACI
ENDVM CVRAVIT

Sed nec illud probare poſſum, *Cojos* idem eſſe, ac *Cajus*: vereor ne vocis ſimilitudo erudito viro impoſuerit. Multa ille ingenioſe, ut demonſtret nominis hujus originem a Gallis repetendam eſſe. Romani, inquit[18], a Sabinis acceperunt; Sabinorum lingua Gallicis locupletata vocibus tunc eſt, cum Galli

(18) „ On croit communement, que ce prenom avoit paſſé de la langue des Sabins, dans celle des Romains, & que „ la premiere...... s'enrichit de quantité des mots Celtiques „ par les Gaulois, qui chaſſerent de ce pais-la les primiers habitans de l'Italie..... M. Olivier convient que la langue des „ Sabins étoit a peu pres la même, que celle des Umbres: „ Or les Umbres etoient Gaulois d'origine..... un mot reconu pour Sabin d'Origine peut auſſi bien paſſer pour venir „ du Celtique, que du Grec. Il ſeroit auſſy tres difficile de „ faire voir par l'analogie latine comment le nom de *Cajus* „ qu'on prononçoit Gajus pouvoit marquer, que les Parens de „ celuy, qui le portoit, avoient eu beaucoup de joye de ſa „ naiſſance. C'eſt pourtant la ſeule etymologie, que les auteurs „ Romains en ajent donnée. Auſſy Scaliger en ſentant l'abſurdité recourut au Grec, & pretendoit, que ce nom en avoit „ été tiré pour deſigner un homme nè dans le pays. Ce ſçavant auroit tout auſſy bien pu recourir a la langue Celte: „ *Gau*, & *Ga* y vouloient dire *Terre*, *pays*, comm γαῖα en „ grec, où γηιος, γαῖος ſignifient, qui eſt de la terre. Ce „ qu'il y a de ſur, c'eſt que les Celtes avoient en leur langue, „ un nom qui repondoit a Cajus des Latins. Selon Baxter les „ Celtes diſoient Kei.... les voyelles, & les terminaiſons variant beaucoup dans les differents dialectes des Celtes, ce „ que l'on ecrivoit Kei, l'autre ecrivoit COI, & un troiſieme y ajoutant la termination grecque OS, en faiſoit Cojos... „ ils aimoient les terminaiſons grecques comme on le voit, „ Arivos, Santonos &c. „ Bochat. l. c. pag. 585.

Galli Italiae veteres incolas expulerunt. Ad haec Sabinorum lingua Cl. Oliverio non diffitente Umbrorum linguae ſimilis: Umbri vero, Solino teſte Gallorum progenies. Nihil eſſe ergo veriſimilius poteſt, quam quod Sabini a Gallis vocem hanc acceperint: quod ſi hoc ſtatuas, tunc legitimum, ac genuinum vocis etymon nactus eris: *Cajus* enim, ſive *Gajus* a Celticâ voce *Gau*, vel *Ga*, quae terram ſignificat, is erit, qui patriâ in terrâ natus ſit; quin cum Scaligero Celticae vocis veriloquium a Graecis apud quos *γαῖα terra*, *γαῖος terrenus*, arceſſere neceſſe ſit. Nam quod vox haec eum denotet, qui naſcendo parentibus ingens attulerit gaudium, latinae vocis analogiam ſi ſpectes, vix, ac ne vix quidem fieri poteſt. Illud tandem minime dubium Celtis ſuam fuiſſe vocem, cui eadem, ac latinae *Cajus*, notio ſubjecta; quam *Kei* fuiſſe cenſet Baxterus; atque uti varia, pro variâ ejuſdem linguae pronunciatione, vocalium mutatio, & vocum terminatio, quod hic *Kei*, alter *Coi* pronunciabat, tertius adjectâ graecâ terminatione OS, amarunt enim Galli graecas terminationes, COIOS efferebat. Haec ille ingenioſa fateor, an eadem vera ſint vehementer dubito; atque illud iterum hic moneo nihil eſſe adje-

ctâ,

ctâ, vel immutatâ literâ, quod non efficere poſſis. Germanum quemdam noviſſe ſe refert Huetius [a], qui hac arte Priamum eumdem eſſe, ac Abrahamum, Aeneam non alium, quam Jonam probaverat; ſeque librum editurum pollicebatur, quo oſtenderet, quotquot ab Hiſpania ad Sinas uſque ſunt linguae, ab unâ eâdemque omnes deductas eſſe. Lepidum ſane caput! An promiſſo ſteterit ignoro. Sed age experiamur, quid eâdem arte, ac regulis extundere, & ego valeam. Etymologi ergo perſonam pauliſper indutus, COIOS, Celtice idem eſſe, ac Latine *Sylvius* pronuncio. Miraris? rides? atqui ita eſſe plane oſtendo. *Coil*, ſeu *Coit*, ut ſuperius dicebam idem Celtis, ac *Sylva*, *Nemus*; A *Coil* igitur, vel *Coit*, *Coi* efficio liquidâ, vel mutâ abjectâ: quid porro uſitatius, quam *finales*, ut ajunt, literas abjicere? *Coi*, quando graecas terminationes amant Galli, ſyllabam OS adjicio, & *Cojos* non minori, ut vides, felicitate effingo; a *Coit Sylva*, *Cojos Sylvius*. Sed quamcumque huic voci notionem ſubjicias illud multo mihi probabilius *Cojos*, ni Celtici, ignotique nobis Numinis, ſive nomen, ſive cognomentum ſit, Gallum aliquem deſignare, qui una cum *Orcitirige* Reipubli-

(a) Huet. Diſs. T. I. pag. 168.

publicae praeſuerit [19]. Hinc viros duos Boute
vianus ille Numus profert, uti Coloniarum Nur
utriuſque Duumviri nomine inſcriptos videm
Neque vero inſolens apud Gallos duos eode
tempore Reipublicae praeſuiſſe. Factum id ap
Aeduos prodit Caeſar (a): *In his Divitiaco*,
Liſco, *qui ſummo magiſtratu praeerant*, *qu*
Vergobretum appellant Aedui - Factum fortaſſe pr
ter morem, nam idem Caeſar alio in loco (b) n
leves ortas apud Aeduos turbas narrat, quod *C*
victolitonis, & *Cotis* de ſummo magiſtratu cont
derent; *cum ſinguli magiſtratus antiquitus crear*
atque regiam poteſtatem annum obtinere conſueſſe
attamen factum aliquando, & ſuperiora oſtendu
& haec ipſa innuunt, quae *antiquitus* illud uſ
patum ajunt. Adde quod placere tandem potui
quod antea iniquum viſum fuerat; fortaſſe etia
peculiare hoc Aeduis, Gallis vero reliquis no
item: nihil porro eſt, quod Aeduis Bouterovi
num Numum tribuere nos cogat. At quam ve
le

(19) Κοιον Titanum vetuſtiſſimum Coeli filium Japeti, Saturni fratrem, quem Latini Coeum vocant huc pertine nullatenus cenſeo, quamvis Pezronio concederem a Titanib Celtas ortos fuiſſe.

lem ipſum Bouteroviani Numi exemplar conſiderare liceret, illa enim injecta mihi ſuſpicio, an non pro COIOS legendum COTOS notum Gallis nomen: videant qui Numum poſſident. Noſti quam facile in exeſis, ſive numis, ſive lapidibus fugientes literae lectores fallant. Accidit id Kirkeriani hujus lapidis apud Muratorium [a] ſcriptori:

(a) Mur. p. 314. 2.

P. RVBRIVS . TROPHIMVS . Ɛ. T.
RVBRIVS AGATO SOLARIVM
REFECERVNT . ET . VERMICVLVM
STRAVERVNT . ITEM PAVIMENTVM
SPICAM . STRAVER. ET. SEDILIA
CIRCVMITVM REFECERVNT·INPENSA SVA
L. NONIO TORQVATO . ASPRENATE
T. SEXTIO . MAGIO. LATERANO. COS. (a.c. 94.)

detritas vetuſtate literas non aſſequens legit: *P. Rubrius Trophimus*, *& Rubrius Agatos C. L. Atrium*, & Agatoni praenomen ademit, ingenuum hominem libertum fecit, ſolarium in atrium vertit. Sed nugarum ſatis, tu, qui meas eſſe aliquid putas, his fruere, & vale. Data Non. Oct.

EIDEM.

EIDEM.

RIſi Venatores illos tuos aheno in Cinericio compoſitos: ſed haec coram. Inſcriptiones, quas ſuperioribus literis non dedi his habeto; nec ſine foenore, tribus enim, quas promiſeram, alias duas adjiciam.

C. CAMVRIO . C. F.
LEM. CLEMENTI . PRAEF
FABR. IIII. PRAEF. I. D. IMPER
CAES. TRAIANI . AVG. PRAEF. COH
VII. RAET. EQVIT. TRIB. MIL. COH
II. VLPIAE . PETRAEOR. MILLIAR.
EQVIT. PRAEF. ALAE . PETRIANÆ
MILLIAR. C. R. (*) BIS TORQVATAE
PROC. AVG. AD . MINICIAM
PROC. AVG. EPISTRATEGIAE
SEPTEM . NOMOR. ET ARSI
NOITAE . TREIENSES . PATRON
OB MERITA . EIVS . DECR. DEC
PVBLICE
L. D. D. D.

(*) Civium Romanorum.

Quomodo legenda ſit, non eſt cur te doceam, pauca curſim delibo, quae minus fortaſſe obvia.

H PRAEF.

PRAEF. I. D. IMPER. CAES. TRAIANI. Quiſnam rogo hic Trajani Imperatoris Juri dicundo Praefectus? *Hirpidium* ejuſdem Trajani I. D. PRAETorem apud Muratorium invenio (a) mendoſo in lapide, ut idem fatetur. At ſeu *Praetor*, ſeu *Praefectus* dicendus ſit, uterque aeque ignotus. Legerem F. D. *Frumenti Dandi*, atque ad Frumentariam a Trajano inſtitutam diſtributionem referrem. *Praefecti Frumenti Dandi* non uno in lapide. *Praef. F. D.* (b), *Praef. Fr. D.* (c), *Praef. Frum. Dandi* (d) &c. At quamvis I pro F leve mendum ſit, & non ſemel occurrat, oſcitantiae tamen quadratarios accuſare non temere ſoleo. Obſcurâ in re dicam, quae dici probabilius poſſe mihi videntur. 1. Juriſdictionem in Italia varie pro variis temporibus adminiſtratam novimus: *Conſulares* ab Hadriano inſtitutos memorat Spartianus (e): his non diu poſt ejus mortem ſublatis, ut autor eſt Appianus (f), *Juridicos* ſuffecit M. Aurelius, teſte Capitolino (g): Quin ante Hadrianum extiterint, qui eodem fungerentur munere nequaquam dubitandum, ut enim recte V. C. de Vita (h): *falluntur ii, qui Hadrianum primum Italici magiſtratus autorem faciunt ..... nomen magiſtratus, non ipſum magiſtratum; aut certe viros*

qui

(a) Mur. p. 707. 2.
(b) Gud. pag. 122. 2. Grut. p. 404. 3.
(c) Id. p. 471. 6.
(d) Id. p. 1091. 8.
(e) V. Hadr. n. 22.
(f) Ap. Civ. l. I.
(g) V. Marci n. XI.
(h) Ant. Ben. p. 146.

qui illud obtinerent deinceps excogitavit Hadria
ut nempe, qui alio nomine haud ſatis noto antea v
bantur, conſularium in poſterum appellationem ob
rent. Ignotum hoc nomen hi fortaſſe lapides nos
cent, atque ex iis diſcimus eos Praef. I. D. In
ratoris nuncupatos; niſi potius velis a Trajano no
huic magiſtratui nomen inditum, uti novum pc
ab Hadriano, atque novum item a M. Aure
2. Illud etiam occurrit, cum Imperatores ipſi pe
jus dicerent, uti de Auguſto, Claudio, Nero
Domitiano Svetonius, de Trajano Dio teſtatur
neque vero in illo, quo flagrabat armorum ſtudio,
norem curam habuit caeterarum rerum; aut par
cauſas tractavit. Nam modo in Foro Auguſti, n
in Porticu, quae Liviae dicitur, ſaepe in aliis
jus pro tribunali dicebat. Occurrit illud, inqua
habuiſſe, qui pro ſe cum aut nollent, aut non p
ſent jus dicerent: horum fortaſſe in numero C
murius noſter, & Hirpidius Muratorii. Neſcio
aliquid lucis conjecturae huic afferre queat Dio
locus in Galba [b], ubi narrat Capitonem, *qu*
forte quidam reus, ab eo jus dicente provocaviſſ
ſtatim in ſellam excelſiorem tranſiliiſſe his verb
age dic cauſam apud Caeſarem, eumque causâ

gnitâ capite damnaſſe. 3. Tandem qui hic Praef. I. D. Imperatoris dicuntur iidem fortaſſe, ac qui poſtea *Judices ſacrarum cognitionum*[a]: *Electi ad cognoſcendas Vice-Caeſaris cognitiones*[b]: *Cognoſcentes ad ſacras cognitiones*[c]; de quibus fuſe Gutherus[d]: an iidem vero ſint, ac illi, de quibus ſuperiori numero agebam, videant qui veterem Juriſprudentiam, & Juriſperitos penitius callent. Meliora fortaſſe docebunt te adverſaria illa tua vere πανδέκται. Quaecumque tamen fuerit haec Camurii Praefectura, muncipale munus fuiſſe, atque ad eos Praefectos referendam penes quos, uti cenſuit Noriſius[e] in coloniis, ac municipiis, cum ob Decurionum diſſidia Duumviri creari non poterant, juriſdictio erat, perſuadere mihi non poſſum.

(a) Fabr. c. III. n. 517. 518.
(b) Grut. pag. 381. 3.
(c)
(d) Guth. de Off. D. A. lib. I. c. 25.
(e) Diſs. I. in Cen. Piſ. c. III.

ALAE PETRIANAE. Ala haec, in qua Romani Cives militabant, a quo nomen ſortita ſit ignoro. *Petrianas*, quae nunc *vetus Perith* in Cumbria apud Brigantes invenio, ubi *Praefectum Alae Petrianae* degiſſe docet notitia Imperii Occidentis: veterum illic rerum reliquias, atque inſcriptiones reperiri teſtis eſt Camdenus[f] in ſua Britannia, atque inter caetera hoc antiqui lapidis fragmentum, in quo *Petrianam Alam* commemorari ſatis veriſimile eſt:

(f) Cam. Brit. pag. 702.

...GA-

• • • • • • •

GADVNO
VLP. TRAI
* EM. AL. PET
MARTIVS
F. P. C.

* Emeritus Alae Petr

At illa non levis ſuſpicio ex Alâ illuc traductâ co nomen factum. Ita ſane cenſet Baxterus [a]; temere, alia enim ſuppetunt hujus rei in Britar exempla. An a Petrejo aliquo, uti a Sylla, & S bone, *Syllana*, & *Scriboniana* Ala apud Tacitum Quid ſi eadem haec Ala, ac quae *Petrina* apud eu dem [c], cujus Praefectus Galbâ, Vitellio, & Ot ne de R. Imp. decertantibus Claudius Sagitta? Em danduſne Taciti locus lapidis hujus autoritate, que *Ala Petriana*, pro *Petrina* legendum? Nihil p nuncio, ut enim Melancholicus quandoque ſim, vinus non ſum, & Petrinos populos in Sicilia novi.

BIS TORQVATAE. Non levis Alae hu gloria, quod Torquibus bellicae virtutis proen donata bis fuerit, atque inde nomen adepta. A etiam Annonas duplices una cum Torquibus conſec ta fuerit, quas *Torquatis* militibus interdum dat ait Vegetius [d], ignorare nos Trejenſes voluerun

Coho

Cohortes integras militaribus donis donatas habes apud Jul. Caeſarem [a]: *cohortem duplici ſtipendio frumentoque militaribus donis ampliſſime donavit*: Manipulos apud Livium [b]: *Papirius .... Sp. Nautium, Sp. Papirium fratris filium, & quatuor centuriones MANIPULUMQUE HASTATORUM Armillis aureiſque coronis donavit.* Alas ex hoc lapide, & Fabretiano, qui etiam apud Donium [c], ubi *Ala Moeſiaca Torquata* dicitur; an aliae ſint non vacat inquirere.

(a) B.C.III.53.

(b) Liv.X.44.

(c) Fab.C.III.n. 149.p.140.

PROC. AVG. EPISTRATEGIAE. Procuratorem interpretor *per Praefecturam* Septem-Nomorum. ϛρατηγία non militare tantum verbum, ſed etiam civile. ΕΠΙΤΡΟΠΟΣ ΤΗΣ ΣΤΡΑΤΗΓΙΑΣ habes apud Rheineſium [d]. *Hepta-Nomis* Aegypti regio, quae ſeptem *Nomos*, ſeu Praefecturas complectebatur, hac in regione Auguſti res procurabat Camurius, qui eodem munere apud Arſinoitas fungebatur. Horum Nomi duo teſte Plinio [e], alter in ipſa Hepta-nomide, ubi Arſinoe, quae prius Κροκοδείλων πόλις dicta eſt [f]; alter, de quo agi hic puto, ad Arſinoen illam ſpectat ni fallor, quae ad Arabicum ſinum prope Heroopolim ſita erat, ut docet Strabo [g].

(d) Rhein. Cl.I. n. 72.

(e) Plin. lib.V. n. 9.

(f) Strab. lib. XVII.p.811.

(g) Id. l.c. pag. 804.

TREIENSES. Piceni populi, quorum oppidum *Treja*, Antonino *Trea*, inter Septempedam, & Au-

Xumum

xumum, cujus veſtigia Cluverio ignota, ad
ſtram Potentiae amnis 8., vel 9. Mil. paſ. ſub
ptempeda, paulo ſub *Montecchio* manifeſtiſſima
prehendiſſe ſe teſtatur Holſtenius [a].

HERCVLI
SCYPHOS
VOTVM . POSVIT
C. CLODIVS
C. LIB. LAETVS
AVGVSTALIS

Auguſtae Vagiennorum.

Herculi ſcyphos dicatos ne mireris, multibibum
roem hunc fuiſſe habes apud Macrobium [b].
lebris apud Veteres Herculis ſcyphus, de quo
ra Dempſterus [c]. Vulgata etiam fabula Her
lem ſcypho a Sole accepto ad Erythiam inſul
navigaſſe, quam fabulam de Navigio, cui *Scy*
nomen fuerit, non male interpretatur Macrobi
Ἡρακλοῦς Πινοντος ſimulacra memorat Ariſtides [d].
Jebbaeo credis deſcripſit haec Lucianus in Sym
ſio, ubi narrat Alcidamantem quemdam humi ab
ctum, ſeminudum jacuiſſe erecto nixum cub
dextrâ ſcyphum tenentem, qualis ille apud Ph
lum Hercules a pictoribus oſtenditur. At non u
mo

modo Herculem Οἰνοπότην ab antiquis effictum cenſeo. Stat in Smyrnaeorum Numis Caracallae, & Plautillae, Maximini, & Maximi apud Liebaeum [a]. Sedet in Crotoniatarum Numis apud Goltzium [b], quemadmodum Epitrapezius ille Martialis [c]:

„ Hic, qui dura ſedens porrecto ſaxa leone

. . . .

„ Cujus leva calet robore dextra mero.

& Statii [d]:

„ . . . . tenet haec marcentia fratris
„ Pocula, adhuc ſaevae meminit manus altera caedis
„ Suſtinet occultum Nemeaeo tegmine ſaxum.

Inter votivos Herculi ſcyphos repones, me judice, elegantiſſimum illum ſolido ex argento ſcyphum in Muſeo Pighinio, ubi Hercules Nemeaeum leonem lacertis elidens affabre caelatus eſt. Hujus ἔκτυπον, quod hic videas praeclariſſimi Comitis Jo: Baptiſtae Pighinii munificentiae debes, qui P. Antonio Benedicto communi amico, ut publicum hoc loco a me fieret petenti, pro eâ, qua eſt humanitate benigne conceſſit.

(a) Lieb. Goth. Num. pag. 319., 341.
(b) Golt. Mag. Graec. Tab. 29.
(c) Mart. epigr. lib. IX.
(d) Statius Silv. lib. IV.

HIC

✠ HIC REϛVIESCE . . . .
IN SOMNO PACES
SIMPLICIVS CONΔV . . . .
TORϛVI VIXIT IN SEC . . .
ANNOS PLM ϤV REC . . . .
SET DE HAC LVCEM SVBΔ....

sic

TERTIO KAΓENΔAS IV . . . .
AS . REϛNANTE ΔMN NOS
TRO ROTHARI REGE
ANN ϛIII INΔICCIONE
TERCIA FELICITER

a tergo

VRBANVS
APONI
DISPENSATOR .

Ibid.

CONΔVcTOR . Conductorem hoc loco non *D* *ſoſten* , ſed *Redemptorem* intelligo , cujuſmodi ſ *Hermes Conductor Horreorum Sejanorum* , & *Con* *ctores Gregum Oviariorum* apud Gruterum [a]. C ductores Farfenſibus in Cartis , & Chronico freque tes occurrunt , quos eos eſſe putant , qui Romar Eccleſiae bona conducebant , *Conductoribus Maſſaru*

Romanae Eccleſiae, *per Gallias* inſcribitur Gregorii M. epiſtola. An hujuſmodi fuerit in Subalpina regione Simplicius noſter ignoro. Romanam Eccleſiam ſatis amplum Patrimonium in Provincia Alpium Cottiarum habuiſſe ſcio, cujus aliqua praedia, & latifundia conducere Simplicius poterat; Patrimonium enim iſtud non niſi paucis ante Simplicii mortem annis, occupatum fuit. Sigonius [a] factum id tradit anno 638., at Muratorio, & Zannettio [b] aſſentior, qui poſt Eraclii mortem an. 641., Alpium Cottiarum Provinciam a Rothari Graeco Imperatori, & Pontifici ereptam ſcribunt, annis nim. IV. ante Simplicii mortem, quae anno contigit 645., ut nunc oſtendam.

REGNANTE...ROTHARI REGE ANN. 9III. &c. Rhotarici regni initia anno 630. ſtatuit Pagius [c]: anno 635. Camillus Peregrinus apud Bachinium [d]: anno 636. ineunte Cennius [e]: anno 637. ſub finem Octobris Bacchinius [f]: anno 638. Baronius [g]: horum omnium rationes lapis iſte, ſi recte deſcriptus, perturbat, & novam Rotharici regni epocam inducit. Ut enim Annus Rotharis IX. cum indictione III., & die III. ante Kal. Ju... congruat initium Rotharis inter menſem Ju., & XXII. Novem-

(a) Sigo. de R. Ital.

(b) Mur. Ann. Zann. Hiſt. de Longob. p. 306.

(c) Pag. ad an. 626. 638.

(d) Bach. Pont. Agn. T. II. pag. 149. &c.

(e) Tom. IV. Anaſt. p. CCIV.

(f) l. c.

(g) Bar. in Ann.

Novembris anni 636. collocandum erit. Indictio enim III. Caeſarea, qua Cennio, aliiſque fatentibus Langobardi utebantur, a Kal. Septembris an. 644. ad Kal. ejuſdem menſis an. 645. decurrebat. Simplicius igitur, qui III. Kal. *Ju... de hac luce receſſit*, obiit anno 645., quo Rothari nonum regni ſui annum hujuſce lapidis teſtimonio adhuc agebat. Haec apte congruunt cum celebri illo edicto, quo Rothari Langobardis ſuis leges, quas ſolâ memoriâ, & uſu retinebant, ſcriptas dedit, cujus Prologus ſic exorditur: *Ego in Nomine Dei Rhotari Rex vir Excellentiſſimus XVII. Rex gentis Langobardorum anno Deo propitiante regni mei VIII., aetatiſque XXXVIII Indictione ſecundâ, & poſt adventum in Provinciam Italiae Langobardorum ex quo Alboin tunc temporis Rex .... anno LXXVI. feliciter...* In concluſione vero haec habentur: *quae autem non ſunt finitae ad praeſentem 22. diem menſis hujus Novembris Indictione II. &c.* Chronologici caracteres annum exhibent 643. quo ante 22. diem Novembris VIII. Rhotarici regni annus exorſus erat, agebatur autem LXXVI., ex quo Alboinus in Italiam advenerat, quod anno DLXVIII. critici doctiores factum conſentiunt. *Langobardi*, inquit

(a) Anaſ. Tom. IV. p. CCIII.

Cennius [a], *annos* 42. *in Pannoniâ commorati anno* 568. *die* 2. *Aprilis in Italiam proficiſcuntur, duce Alboino*. Rotharici regni initio hos intra terminos conſtituto, atque firmato, ſi per annos XVI. & menſes IV., quot regnaſſe illum ſcribit Paulus Diaconus [b], decurras, obiiſſe Rotharim deprehendes anno 652., non Martio ineunte, ut Pellegrinius cenſuit, nec Majo, ut Cennius, ſed ut citius Septembre exeunte, quamvis ſequentis anni initium attingere etiam potuerit. Anno igitur

(b) Hiſt. Lang. l. IV. c. 48.

636. Ind. IX. X. inter menſ. Ju., & Nov. 22. Rothari regnare incipit.

641. Ind. XIV. XV. Alpes Cottias occupat. A. Regni V. VI.

643. Ind. II. 22. Nov. Edictum promulgat. A. R. VIII.

645. Ind. III. a. III. Kal. Ju... moritur Simplicius. A. R. R. IX.

652, Ind. XI., vel init. 653. moritur Rothari. A. R. XVII.

D M

D M

VLPIVS COCCEIVS . EQ. S. D. N

CASTRIS NOV. T. KASTI. EX. PAN

SVP. NATVS. AD. AQVAS. BALIZAS

PAÇO . IOVISTA . VICO COC...

NETIBVS . STIP. XII. ANN. XX\...

ICTOR. FRATER. ET. IVL. PROC...

...RD FECERV...

Exſcripſi in Vineâ Lepriâ extra Portam Naeviam. Exſtat in marmorea Tabula, in cujus medio Coccei protome cum clamyde, & virga cavo in clypeo, quem duo genii ſuſtentant. Deſuper arcuatum loculamentum, in quo lectus, atque in eo vir ſedens dextrâ coronam tenere videtur; adſtat menſa tripes, hinc genius cum face; illinc genius alter cum vaſe. Marmoris latera ornant columnae in ſpiram aſſurgentes, quibus larvae ſcenicae, ni fallor, impoſitae.

VLPIVS COCCEIVS. Quamvis illuſtrium Imperatorum nomina a militibus ſaepe ſumpta non ignorem affirmare tamen non auſim *Ulpium Coccejum Equitem ſingularem Domini Noſtri Caſtris Novis Turmae Kaſti &c.* Ad Coccejum Nervam, & Ulpium Trajanum Auguſtos pertinere, vel eorum ſaltem aetate vixiſſe. Primum illud, quod nihil leve

magis,

magis, nihil hac nominum ſimilitudine magis incertum arbitrer; poſtremum hoc, quod nullae certae ſint temporis notae, ex quibus evincere id poſſis.

DN. *Domini Noſtri*. DOMINI titulum ab Auguſto rejectum, a Cajo, & Domitiano vehementer expetitum, ſi unum, aut alterum L. Veri Numum graecum excipias [(a)]; in quibus tamen non δεσπότης, ſed κύριος dicitur ΥΠΕΡ ΝΙΚΗΣ ΚΥΡΙΩΝ ΣΕβαςῶν; in Numis Getae primum occurrere Antiquarii vulgo docent; extat enim Antiochenus hujuſce principis Numus [(b)], cujus in averſâ parte legitur VICT. DD. NN. COL. ANTIOCH. S. R. *Victoria Dominorum Noſtrorum* Caracallae, nimirum & Getae *Colonia &c.* Eumdem in lapidibus poſt Commodi tempora, Severo aliiſque Auguſtis plerumque datum ſcripſit Noriſius [(c)]; Noriſio conſentiens Spanhemius: *Sub Hadriano vero*, inquit [(d)], *ac Antoninis nuſpiam itidem in antiquis* AVCTORVM, LAPIDVM, NVMMORVMQ. *monumentis conceſſus iis, aut ab iis ambitus Domini titulus comparet*. Hinc illa apud Antiquarios vulgata lex *Domini* titulum in lapidibus ſequioris aetatis indicium eſſe. Miror, qui poſt Noriſium, & Spanhemium ſcripſere huic legi ſubſcribere maluiſſe, quam vetera per ſe monumenta conſule-

(a) Ap. Vail. N. P. T. II. p. 179. Liebe C. VII. §. XI. p. 258.

(b) Ap. Vail. N. Col. T. II. p. 53.

(c) Noriſ. de Num. Diod. c. I.

(d) Spanh. de P. N. Diſ. XI. §. XI. p. 485.

ſulere. Atqui legi illi non una me judice danda exceptio eſt. Omittam ſane Ocriculanum lapidem [a], vel falſum, vel corruptum, in quo Tibe- (a) Mu.p.95.2.
rio *Domini Noſtri* titulus tribuitur; nec Cordubenſis [b] autoritate abutar, qui Domitianum *Dominum* (b) Ib.p.239.6.
Noſtrum appellat; non enim ignoro, quam ſit apud ſeveriores criticos Hiſpanorum lapidum teſtimonium infirmum. Quamquam qui haec apud Svetonium legerit [c]: *Pari arrogantiâ cum procuratorum ſuo-* (c) Svet.V.Domit. n.13.
rum nomine formalem dictaret epiſtolam ſic coepit; Dominus, & Deus noſter, ſic fieri jubet. Unde inſtitutum poſthac, ut ne ſcripto quidem ac ſermone, cujuſquam appellaretur aliter, is nequaquam mirabitur Cordubenſes publico etiam in monumento Domitiano *Domini* titulum dediſſe. Fictiles Muſei Paſſerii [d] lucernas elegantis ſane operis vidiſſe memi- (d) Paſſ.lucern. Fict.T.I.Ta.74. T.III.Tab.26. 38.
ni, quarum altera Apollinem cum cytharâ ſcopulo inſidentem exhibebat, altera quadrigas in circo decurrentes, poſtrema querneâ coronâ circumdata, juvenem togatum, ſedentemque cum volumine in ſiniſtra; a tergo vero in priori FLAVIADETDN, in ſecundâ FLAVIADEDN, in tertiâ FLAVIA DETDEIN; nempe, Viro Clariſſimo interprete [e], (e) Id. To.III. pag. 50.
Flavia Domini, & Dei Noſtri: Hunc *Dominum*,

& De-

& Deum Domitianum eſſe, eumque in tertiâ lucernâ expreſſum ex Flaviae nomine vir doctus putat, cui ſi ſubſcribas *Domini*, & *Dei* titulos non ſcripto tantum, & ſermone Domitiano datos, ſed iiſdem fictiles etiam in Urbe lucernas obſignatas habes. An ulla extent certa, & legitima monumenta, quae Trajano *Domini Noſtri* titulum datum oſtendant, ignorare me fateor, Tarraconenſem enim lapidem hoc in numero non reponam, quamvis legitimus ſit. Utitur eo Corſinius [a], at doleo virum doctum non vidiſſe, monumentum ab Acyndino *Vice ſacra cognoſcente Numini Majeſtatique Domini Noſtri Trajani nobiliſſimi, fortiſſimi, ac foeliciſſimi Caeſaris dicatiſſimo* poſitum, non ad Trajanum Nervam, ſed ad Trajanum Decium pertinere: vidit atque animadvertit Gruteri editor. At his omiſſis, qua falſis, qua infirmis, ut ad ea, quae Spanhemius ſtatuit infirmanda propius accedam, *Domini Noſtri* titulum publicis in monumentis Hadriano Principe, atque Antoninis Auguſtis uſurpatum non dubiis, monumentis ſtatuere, me poſſe video.

(b) Corſ. Praef. Urb. p. XXX.

Ac primum Hadriano datum invenio in his figulinis apud Donium [a].

(b) Don. Cl. II. n. 141. 142.

SER-

SERVIANO . III. ET . VARO COS
EX . FIGVL. DIONYSI ET FESTI SER. D̄. N̄

L. AEL. SERVIANO . ĪĪĪ. ET . VARO . COS
EX FIG. DOMITI . PARATI . ET VERI
DELIC. THE. D̄. N

Lego enim in priori: *Serviano III.*, *& Varo Conſulibus Ex figulina Dionyſi*, *& Feſti Servorum Domini Noſtri*: in alterâ vero: *Lucio Aelio Serviano III. & Varo Conſulibus ex Figulina Domiti Parati*, *& Veri Delicati Thermariorum Domini Noſtri*. Inſcripti conſules, ad ann. V. C. 886., C. 134. laterculos hoſce pertinere oſtendunt, eo enim Servianus III., & Varus Conſules proceſſere. Hac porro aetate *Dominum Noſtrum*, non alium, quam Auguſtum, Hadrianum ſcilicet, appellatum facile dabis. Sequiora ſunt tempora, quibus & privati Conſules *Domini Noſtri* dicti quandoque ſunt, ut egregie oſtendit Corſinius [a]. Ex ſecundo laterculo, ut hoc obiter animadvertam, habes Serviani, Paulinae [b] Hadriani ſororis mariti praenomen, & nomen, de quibus non ſatis ſibi conſtant Faſtorum Scriptores; *C. Julium Servilium Servianum* vocat Panvinius; *Servilium*

(a) Corſ. diſs. I. p. IX.

(b) Spar. V. Hadr. n. 1.

vilium Servianum Leunclavius, & Pagius; *C. Julium Servilium Urſum Servianum* Almelovenius. *Ser. Servianus* dicitur apud Sponium [a]; *Urſus Servianus* apud Gruterum [b]; *C. Urſus Servianus* apud eumdem [c]: erit tibi dehinc *Lucius Aelius Servianus*, alius, ut ſuſpicor, ab illo Urſo Serviano, qui Collega *L. Fabio Juſto* a V. C. 864. C. 111. Faſtis iterum nomen dedit: ſed haec εν παροδῳ. An hoc in lapide [d]:

(a) Spon. Miſc. p. 263.
(b) Gru. p. 175. 10. 190. 6.
(c) Ib. p. 1083. 9.
(d) Mur. p. 524. 3.

IMP. CAESARE . AELIO
HADRIANO AVG. COS. III. &c.
NOMINA MAG. LIBER. ET . SERVORVM
AVG. N̄. D
L. LVTATIVS &c.

Legendum ſit *Auguſti Noſtri Domini* literis lapicidae oſcitantiâ tranſpoſitis affirmare non audeo. Κύριος certe dicitur idem Hadrianus in Smirnenſi lapide inter Oxonienſes [e].

(e) Mur. Oxon. p. 95.

. . . . . ΚΑΙ . ΟΣΑ . ΕΠΕΤΥΧΟΜΕΝ
ΠΑΡΑ · ΤΟΥ . ΚΥΡΙΟΥ ΚΑΙΣΑΡΟΣ
ΑΔΡΙΑΝΟΥ . ΔΙ. ΑΝΤΩΝΙΟΥ . ΠΟΛΕ
ΜΩΝΟΣ &c.

atque in Palmireno apud Muratorium [f]:

(f) Mur. pag. 115. 1.

ΔΗ.

ΔΗ. ΜΕΓΙΣΤΩ ΚΕΡΑΥΝΙΩ ΥΠΕΡ
ΣΩΤΕΙΡΙΑΣ. ΤΡΑ. ΑΔΡΙΑΝΟΥ.
CΕΒ. ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ &c.

Antonino Pio eumdem titulum tribuunt acta ſionis S. Felicitatis apud Ruinartium [a]: *Auſa* inquit Praeſes, *me praeſente iſta monita dare* *Dominorum Noſtrorum juſſa contemnant &c.* ſed illuſtrius fortaſſe teſtimonium exhibebit praecl ille *Velii* Fidi ad Jubentium Celſum Libellus S ro, & Sabiniano Conſulibus anno V. C. 908 155., cujus αὐτόγραφον in Kirkeriano Muſeo ſe tur, in quo Arria Fadilla DOMINI. N. I ANTONINI AVG. mater dicitur, quod a ne ne, quod ſciam animadverſum, obſervaſſe te g deo. Eidem Auguſto Moguntinum lapidem Ju ni X. *Kal. Aug.* IMP. D. N. ANTONINO.C dicatum tribuit Muratorius [b]: at fallitur vir ctus; non enim, ut ille arbitratur, ſecundus hic tonini Pii conſulatus exprimitur, ſed, ut ego c ſeo, primus Antonini Helagabali; cum occiſo V id. Jun. ann. V. C. 971. C. 218. Macrino, ejuſ nomine e Faſtis eraſo Helagabalus ſe ipſum co lem dixit. Utrum vero ad eumdem principem pis alter pertineat *Pro ſalute Domini Noſtri S*

ctiſſimi Antonini Pii poſitus, incertus ſum: negat Maffejus [a], atque Antonini Caracallae, aut Helagabali eſſe contendit; dubio teſtimonio non utar, quando contrarium oſtendi certo non poteſt.

(a) Maf.O.L.T. I.p.188.n.33.

M. Aurelius, & L. Verus, omiſſis, quos citavi Lucii Numis, & Polycarpi Martyrii, apud Euſebium acta [b], in quibus Herodes Irenarca, Polycarpum ſic alloquitur τί γαρ κακον ἐςιν εἰπεῖν ΚΥΡΙΕ ΚΑΙΣΑΡ, ϗ ἐπιθῦσαι, *quid enim mali eſt dicere Domine Caeſar, & ſacrificare*. Aurelius inquam, & Verus τῆς οἰκȣμένης Κύριοι vocantur duobus hiſce in lapidibus apud Donium [c];

(b) Euſeb.H.E. IV.15.

(c) Don.Cl.III. n.21.22.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣ
ΜΑΡΚΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ
ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΝ ΣΕΒΑ
ΣΤΟΝ ΤΟΝ ΚΥΡΙΟΝ
ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ
Λ. ΦΛ. ΣΟΥΛΠΙΚΙΑΝΟΣ
ΔΩΡΙΩΝ

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ
ΛΟΥΚΙΟΝ ΑΥΡΗΛΙΟΝ ΒΗΡΟΝ
ΣΕΒΑΣΤΟΝ ΑΡΜΕΝΙΑΚΟΝ
ΤΟΝ ΚΥΡΙΟΝ ΤΗΣ ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ &c.

Iiſdem

Iiſdem ſi *Domini* titulum hoc in fragmento apud Fabrettum (a):

..RATORVM . CAESARVM
..NI . ET . VERI . AVGVSTORD
..NI . $\overline{XX}$. OF. AVR
..ONINO III. ET . VERO $\overline{II}$ COS (a c. 161.)
PC.

datum dicam, non temere faciam, illa enim D. lineâ ſecundâ *Dominorum* interpretari facile poteſt.

Commodo *Domini Noſtri* titulum dat Fabrettianus iſte lapis (b):

SOLI INVICTO
MITHRAE
PRO SALVTE COMMODI
ANTONINI AVG. DOMINI $\overline{N}$ &c.

idemque κύριος dicitur graeco in marmore Romae reperto apud Gruterum (c):

ΥΠΕΡ CΩΤΗΡΙΑC ΚΑΙ ΔΙΑΜΟΝΗΣ
ΤΟΥ ΚΥΡΙΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟC
ΚΟΜΜΟΔΟΥ CΕΒΑΣΤΟΥ
ΟΙ ΝΑΥΚΛΗΡΟΙ &c.

Haec, quae protuli, veterum monumenta ſatis, opinor, oſtendunt *Domini* titulum ante Severum, & Caracallam Hadriano, atque Antoninis principibus,

(a) Fabr. C. X. n. 79.

(b) Id. C. X. n. 108.

(c) Gruter. pag. 114. n. 4.

buſ, cum apud auctores, tum in lapidibus uſurpatum. Oſtendunt Romae uſurpatum, quod Severo, & Caracalla, aliiſque ante Aurelianum auguſtis in more poſitum negare videtur Spanhemius [a]: *neque tamen hactenus ſub iis principibus*, Severo, & Caracalla, *inoleverat*, *ut eam Domini appellationem ſibi dari in urbe..... vellent &c.* quod a doctiſſimo viro minus recte ſancitum, non allata dumtaxat *Velii Fidi*, & Ναυκλήρων monumenta, ſed alii plures apud Boldettum, Fabrettum, & Rheineſium lapides te docebunt. Habes apud Boldettum [b] illuſtre Antonini Caracallae, & Getae conſulatu marmor romano in Coemeterio repertum, in quo *Tribuni Equitum ſingularium* DDD. NNN. AVGGG. *Severi* nimirum *Caracallae*, & *Getae*, nominantur: habes apud Fabrettum [c] Romanos lapides, in quibus cum Severo, & Caracallae, tum Caracallae, & Getae *Domini Noſtri* titulus datur: habes apud Rheineſium veterem epigraphen [d], Maximo, & Albino Conſulibus, anno ſcilicet V. C. 980. C. 227., ut recte Noriſius ſtatuit [e], poſitam *Juſto Equiti ſingulari* D. N. AVG., qui Auguſtus Alexander eſt Mamaeae filius, cujus & alia extat, apud Muratorium Romana inſcriptio [f]: *Herculi Conſer-*

(a) Spanh. l. c.

(b) Bold. Cimit. p. 442.

(c) Fabr. C. III. n. 14. C. IV. n. 497. C. X. n. 107

(d) Rhein. Cl. VIII. n. 37.

(e) Nor. ep. Con. p. 139.

(f) Mur. p. 60. 3.

Conſervatori, *&* *Comiti* D. N. *Severi Alexandri* ſacra, quod magis ſane mirandum, Alexander enim ſi vera narrat Lampridius [a]; *Dominum ſe appellari vetuit*.

(a) Lampri. V. Alex. n. 4.

CASTRIS NOVIS. *Caſtra* haec *Nova*, quo urbis loco fuerint, inveſtigabis ſi tibi eſt otium, & ſi vis. Eorum meminit vetus lapis apud Fabrettum [b], ubi *Aurel. Ingenus Eques Sing. Augg.* CASTRIS NOVIS. Huic adde, & hunc alium apud eumdem [c]:

(b) Fabr. C. V. n. 246.

(c) Ib. n. 76.

M. AVREL. BITHO. EQ. SING. D. N
EX. TVRMA. LONGINI. C. N. NAT
THRAX &c.

Secundâ enim lineâ leges me interprete, *Ex Turma Longini*. CASTRIS. NOVIS. *Natione Thrax &c.* Fabretto ſuſpicanti [d] ſingulares equites gemina in caſtra diſtributos, vel quod grandiorem in numerum excreviſſent, vel ut laxius, & commodius tenderent aſſentior, video enim apud P. Victorem [e] CASTRA *Equitum ſingulorum* II.

(d) Ib. p. 388.

(e) T. III. AA. RR. p. 52.

NATVS AD AQVAS BALIZAS &c. Similes apud Gruterum [f] formulae: *Antonius Paterio natus in Myſia Superiori Regione Ratiareſe Vico Ciniſco*: *Aurelius Abitus Natione Beſſus natus Regione Serdica*

(f) Grut. pag. 521. 7. 526. 3. 527. 7.

dica Vico Magari: Aurelius Dizane natus ex Provincia Moeſia inferiori Regione Nicopolitana Vico Saprisſara. Aquas haſce Antonini Itinerarii (quod unum earum meminit) exemplaria, alia *Baliſſas*, alia, quod Weſſelingius magis probat, *Baſillas*, alia *Bariſſas* vocant, *Balizas* etiam dices lapidis hujus teſtimonio. Quo loco fuerint ex eodem Itinerario diſcimus [a].

(a) It. Ant. pag. 265.

Iter a Sciſcia Murſam.

Varianis	MP. XXIII.
Aquis Baliſſis	MP. XXXI.
Inicero	MP. XXV.
Stravianis	MP. XXIIII.
Murſa	MP. XXX.

Ex quibus non male collegit Cellarius [b] *Aquas Balizas* collocandas inter Savum, & Dravum, quae Regio a Sexto Ruſo [c] Savienſis dicitur: *Amantinis inter Savum, & Dravum proſtratis Regio Savienſis, & ſecundorum loca Pannoniorum obtenta ſunt*. Eaſdem inferiori Pannoniae tribuunt recentiores Geographi, non male, ſi uti ex Ptolemaeo ſtatuit Jordanus [d], Orientales Pannoniae ſuperioris limites infra Sciſciam incipiebant, dein ad lacum Balaton recta ad Arrabonis fluvii divertigium aſcendebant. At

(b) Cell. Geog. lib. III. C. VIII. p. 452.

(c) Ruf. in Bre. p. m. 287.

(d) Jordan. Or. Slav. parte II. pag. 91.

At inſcriptio haec, quae Coccejum ad ſuperiorem Pannoniam pertinere docet, limites hoſce longius fortaſſe protrahere nos coget, ut *Aquas Balizas* in ſuperiori Pannonia collocemus. At cum in *Pago Joviſta* natus Coccejus fuerit, quin Provinciarum limites unius lapidis teſtimonio immutemus, ſic rem componi facile poſſe exiſtimo, ut Pagus ab *Aquis Balizis* aliquot milliariis diſtans ad ſuperiorem Pannoniam, *Aquae* vero ad inferiorem pertinerent: quantum enim conjecturâ aſſequi poſſum in confinio utriuſque Provinciae *Aquae Balizae* ſitae fuerunt. Num vero maneat, quemadmodum Lazius putat [a]: *vetus adhuc nomen* harum aquarum *ruinis, etſi truncatum ad Dravi ripam in eo tractu, quem Zighetum dicunt, Selle Ungari vocant, quatuor a Quinque-Eccleſiis milliaribus*, videant, qui illarum Regionum ſitus melius norunt. . . . .

(a) Laz. de R. Imp. p. 1002.

PAGO IOVISTA. Quid Pagus iſte *Joviſta*? Ἐπέχω. Cum *Mutationes Ramiſtam*, & *Suniſtam* eâdem in Pannonia reperiam [b], non aegre mihi perſuadeo eodem in loco non longe ab *Aquis Balizis* Pagum aliquem fuiſſe, cui nomen *Joviſta*.

(b) Itin. Hier. pag. 561.

VICO COC...NETIBVS. Et hìc haeret aqua. Illud tantum affirmare auſim Vicum hunc vel *Co-*

conetes, vel *Cocènetes* ad Pagum ipſum *Joviſtam* pertinere. Neque vero inſolens in lapidibus, ut locus ſive Urbis, ſive Pagi, in quo quis natus eſt ſignetur: ſic Gruteriano in lapide [a] Equitem Romanum *natum in Vico Jugario* reperies. *Cocconis Mutationem* a Murſa MP. LXXV. diſtantem, eâdemque in parte, qua Aquae Balizae fuerunt invenio in Burdigalenſi Itinerario, quod alii Hieroſolymitanum vocant [b].

(a) Grut. pag. 478.1.

(b) l. c. p. 562.

Petavione.

Tranſis Pontem Intras Pannoniam Inferiorem.

Mutatio Ramiſta.

• • • • • •

• • • • • •

Mutatio Suniſta.

• • • • • •

• • • • • •

Mutatio Cocconis.

Manſio Serota	MP. X.
Mutatio Bolentia	MP. X.
Manſio Maurianis	MP. IX.
Intras Pannoniam Superiorem.	
Mutatio Serena	MP. VIII.
Manſio Vereis	MP. X.


Muta-

Mutatio Jovialia MP. VIII.
Mutatio Merſella MP. X.
Civitas Murſa MP. X.

Num vero ex his ſuſpicandi locus ſit, qui Coccei aetate *Pagus Joviſta* dicebatur, eumdem Conſtantino M., quo imperante itinerarium illud confectum eſt, a *Vico Coconetibus* nomen *Cocconis* adeptum fuiſſe, inquirendum tibi permitto. At ubi haec vera eſſe deprehendas, quod de *Pago Joviſta* in ſuperiori Pannonia ſito paulo ante conjecturâ affirmaveram, mirifice confirmabitur; *Mutatio* enim *Cocconis* in ſuperiori Pannonia reapſe fuit, quamvis auctor itinerarii eam inferiori tribuat; jamdiu enim animadverſum eſt a Valeſio [a], illius operis auctorem Pannoniam inferiorem dicere, quae aliis ſuperior eſt, ſuperiorem vero, quae aliis inferior.

[a] Not. in Am. Mur. lib. XVI. c. X.

...RD. Suppleo HRD., & lego HeReDes, Victor nimirum Frater, & Julius Proculus.



D. M. Germanus Eutychioni De *Suo Memoriae Cauſa. Unum tibi & Solum Deum. Ne me tetigeris.*

Hanc ex vineâ Curtiâ, ubi adhuc extat, dederat Marangonius [a]; emendatiorem cum Regii tui, immo mei diligentiâ nactus ſim, hìc iterum profero. Lineâ ultimâ poſt Θεον aliquid deeſſe manifeſtum eſt. An, ut ego ſuſpicor, Επηκοον ἐυχομαι? *vnum tibi & ſolum Deum propitium opto*: latine dixiſſes: *Ita tibi unus & ſolus Deus propitius ſit*. An potius, ut tu reris ορκιζω? *Adjuro te per unum, & ſolum Deum*. Aſſentirer, ſi uti gramaticae leges poſtulant, ΣΕ, non ΣΟΙ in lapide legeretur. Neque me ſatis movet

(a) Mar. Anif. Flav. p. 81.

vet Maſſei auctoritas, qui *T. Flavii Dionyſii* graphen, quam Montfalconius (a) ita dederat:

ΤΙΤΟΣ ΦΛΑΒΙΟΣ ΔΙΟΝΥΣΙΟΣ ΕΝΟΡΚΙΖΟΜΑΙ

ΟΙΤΟΝ ΣΕΒΑΣΤΙΟΝ ΟΡΚΟΝ ΜΗΔΕΝΙ ΕΞΟΝ &c.

atque interpretatus fuerat: *Titus Flavius Dion adjuro per mortem, quod eſt venerandum Sacra tum &c.*, ex emendatiori, ut ipſe putat απογραφ legendam, explicandamque arbitratur (b).

ΤΙΤΟΣ &c. ΕΝΟΡΚΙΖ ΟΜΑΙ ΣΟΙ ΤΟΝ ΣΕΒΑΣΤΙΟΝ ΟΡΚΟ

Titus &c. adjuro te venerando Sacramento, non inquam ſatis movet, quid enim eſt, adjuro te *v rando Sacramento*, eo omiſſo, per quod quis a rum adjurat? Nullum hic perjurii periculum, c rei metu Deorum nomina in juramentis a vet bus quandoque omiſſa, ex Pindari Scholiaſte tr Laurentius (c). At per Mortem, inquies, veteres juraſſe credis? Quidni? cum Deam habitam fuiſſe M tem ſciam; cui Lacedaemone ſimulacrum (d), Templum (e); & Feſti apud Gaditanos Paeanes Ut ſera ſcilicet veniret, & tarda.

ἀλλὰ μακαρ μακροῖσι χρόνοις ζώης γε πελάζειν
αἰτοῦμαι θυσίαις, καὶ εὐχωλαῖς λιτανευων
ὡς ἂν ἔοι γερας ἐσθλὸν ἐν ανθρωποισι τὸ γῆρας.

Quare Sancta veni longo poſt tempore vitae

Q

Quod te ſuppliciter Sacris, Votiſque precamur
Ut felicem habeant homines placidamque ſenectam

(a) Orph. Hym. Mortis. inquit Orpheus (a), ſeu quiſquis ſit auctor Hymnorum, qui Orpheo tribuuntur. Quid ſi, uti de Gaditanis ſuſpicatur Bochartius (b), *Mortis* nomine *Plutonem*, quem Phoenices *Muth* i. e. *Mortem* dixiſſe ex Sanchoniatone novimus, Titus ille Flavius intellexit? An non tunc *venerandum juramentum* dici jure potuit. Inferna numina in hiſce obſecrationibus uſurpata, non eſt cur te doceam. Noſti Pompejum illum Muratorianum (c). *Per Deos Stygios rogantem ne quis ejus oſſa violaret &c.* Quamquam, ut ad inſcriptionem noſtram redeam, novi Epitaphio-graphos grammaticae leges ſaepius contemnere; licebit per me legas: *Adjuro te per unum, & ſolum Deum.*

(b) Boch. Canaam. lib. I. c. 34. pag. 675.

(c) Mur. p. 932. 2.

ΜΗ ΜΟΥ ΑΨΗ. Similis ferme apud Joannem (d) formula μή μου ἅπτου. Sic apud Muratorium chriſtiana femina (e): *Rogo te per Deum omnipotentem, & Jeſum Nazarenum, ne me tangas, ne ſepulcrum meum violes, nam ante Tribunal aeterni Judicis mecum cauſam dices.* At non idcirco Eutychionem hunc noſtrum chriſtianum reor: eadem ethnicis cura, & ſollicitudo, neu quiſpiam quietos in ſepulcris cineres

(d) Joa. XX. 17.

(e) Mur. p. 439. 2.

res turbaret: paullo fortaſſe graviora illa *unum*, & *ſolum Deum*: ſed neque haec ſatis id evincunt, non hoc primum unius, & ſolius Dei teſtimonium ab Ethnicis hominibus vis veritatis extorſit; audi Sophoclem apud Juſtinum Martyrem [a]. *Unus*, graeca omittam, ut brevior ſim.

Unus profecto eſt, unus eſt tantum Deus:
Qui Coelum, & amplum condidit terrae globum,
Mariſque fluctus, vimque ventorum gravem.
Plerique noſtrum mente, ſed capti Deûm
Simulacra nobis, ceu mali ſolatium
Cum ſaxea, atque acerna conſecravimus:
Sive aureas eburneaſque imagines:
Sacris, & iſtos colimus: his feſtos dies
Agimus: pios hoc eſſe nos remur modo &c.

Sed de his ſatis, tu quid agas, quid de Vinariis mediteris, ut ſciam cura. Vale.

Data XIV. Kal. Nov.

(a) Juſt.M.Par. ad Graec. n.18.

AUG 8 - 1946